
V
B
I
C

CLERICUS.

Juxta præſcriptum Decreti S. Concilii Tridentini, ſufficienter in Seminario

INSTRUCTUS.

ſeu

INSTRUCTIONES.

Clericos in Tyrocinio exiſtentes Seminariſtico,

CONCERNENTES.

Ex variis Authoribus probatis, ad praxim, utilitatem, ac uſum Seminarii cujusvis

COLLECTÆ.

Ab uno ex Inſtituto Clericorum ſæcularium in Communi viventium pro tunc Regente Seminarii Diecæſani Vilnenſis, ad Typum quoq;

DATÆ.

Annô à Nativitate Xſti, quô idem Sacerdos Summus *ſecundùm Ordinèm Melchiſedech* Inſtructor mundi ad ſalutem, in lucem prodiit 1760.

VILNÆ

Typis S. R. M. Academicis Soc: JESU.



Ut detur parvulis astutia (id est in bonum) *adolescenti scientia & intellectus* (eorum, quæ suum statum concernunt) *audiens sapiens sapientior erit: & intelligens, gubernacula* (vitæ suæ, & curæ animarum) *possidebit*, Proverb: I. ℣. 4. & 5.



PRÆFATIO
Ad
Alumnos Seminarii.


CUm Libellum hunc Typo mandatum in lucem produxerim, non puto me aliquod novum ſub ſole opus effeciſſe: cum longe doctiores, plurimarum rerum notitiis inſtructiores Authores eruditos petierim, emendicando ab iis micas de menſa illorum cadentes, quibus ipſemet victitabam, Vobisq; Alumni Chariſſimi *modo ruminandas ſubminiſtro. Sed, dum vixi mihi, vobis ſimul vivendo, Vobis cum præſim, ut proſim volui. Movit me*



ad id operis, & muneris mei, obligatio & finis à Tridentino præintenti instituti Seminarii, consideratio, ut Vobis sæpenumerò & librorum copiâ destitutis, &, si hi adsint, temporis inopiâ laborantibus, ea in compendio ad manum darem, quæ sparsim & longâ morâ, distractis re scholasticâ, comparanda essent ex Authoribus plurimis. Temporis, residuas à Vestra cura reliquias, Vobis reddo. Movit me continua in examine ordinandorum praxis, in quo sæpe per quæstiones, eorum, quæ à Concilio Tridentino præscribuntur, sciendorum, specimen exquiritur, proinde dum has Instructiones Vobis trado, ante examen Vos præmoneo unde examinandi estis (licet hic non totaliter iis resolvendis satis fiet, nam pro plurimis recurrendum erit ad Theologos morales & examina ordinandorum) Movit me labor in Seminario Instructoris circa praxim studiorum, repetitionum, Breviarii recitandi, Ceremoniarum Missæ, rituum administrandorum Sacramentorum &c. Propterea ut hic minuatur Instructiones has Typo præmittendas duxi ut ad Vos Alumni Charissimi, *Instructo-*

non

non descendat justò gravior, Vos autem Illum non præstolemini tanquam illiterati atq; in hac re rudiores, quam necesse fuerit. Cum autem allegò Bellarminum, subintelligite, quod hunc, tanquam pro universa Catholica Ecclesia militantem Vobis legendum svadeam: Cum Naisl speculum Cleri *in capite libri citatum, hunc pro continua lectione spirituali Vobis desiderarem, acquirendum, dum deniq;* Hut cum tyrocinio Seminaristico *suo, meum præcipuum in Seminario Instructorem ex Typo, reproduco, hunc Vobis sine invidia communico, & mecum Vobis communem esse volui. Proinde libellum hunc ex præmissorum, præcipuè verò Sancti* Concilii *Tridentini Authoritate (quod unicuiq; Vestrum legendum necessario existimo) compactum, trado Vobis, trado ac si instrumentum, ac si præeuntem lucernam, ac si practicum Instructorem. Ut instrumentum, ut lucerna, ut Instructor, sit sæpè præ manibus, quoties meditationes, examina conscientiæ, studia, exercitia cantus choralis, rituum, ceræmoniarum, praxim* Concionum *in Semi-*



minario fieri solitarum & Cathechesum, cæterorumq; exercitia acceditis. Hic clavis erit Vobis ad illa, & continuus Instructor. Ipsum consulite quomodo meditari, conscientiam examinare, studiis vacare, Cathechisare, concionari, intelligere scripturam, absolvere missam, recitare Breviarium, animabus opitulari, debeatis, brevi: quomodo Vobis prodesse, aliis præesse Vos oporteat. Spero me non solum Vobis Tyronibus hâc opellâ in Seminario profuturum, sed et am extra Seminarium existentibus ad refricandam memoriam, adjumento fore, proinde & in Seminario gratos Vos mihi ut vigilanti tanquam pro animabus Vestris DEO rationem reddituro, & extra illud ad aras Vos memores mei esse in Memento *præstolor. Valete.*



Li-

Libellus hic XII. Instructionibus diversas materias necessarias Clericis, tractantibus, absolvetur, quæ synopticè hic explicantur.

I. Tractabit de Origine Seminarii, ejusdem fine: De Clerico ejusq; obligatione in Seminario, cum accitatione Decreti S. Concilii Tridentini de Seminario.

II. Aget de practico modo meditandi, Conscientiam examinandi, & de modo utiliter studendi.

III. De Rhetorica Spirituali, seu arte Concionandi & Cathechisandi.

IV. De Compendiosa sæ scripturæ notitia.
V. De Cæremoniis & ritibus circa Missam.
VI. De Horis Canonicis Breviarii.
VII. De Computo Ecclesiastico.
VIII. De Cantu Chorali cum annexis tonis *Psalmorum*, & ad Missam pro *Gloria, Credo Itemissa est &c.* pertinentibus.
IX. De qualitate Pastoris animarum ejusq; obligationibus.
X. De modo administrandi Sacramenta in genere & in particulari.
XI. De Conversatione Pastoris cum variis generibus Personarum.
XII. De Curatione Ovium variis morbis spiritualibus obnoxiarum, & de modo assistendi moribundis. ac incarceratis. De Benedictionibus ac Processionibus.

CO-

COROLLARIUM

De Precibus Clericorum in Seminario ſub regimine noſtro exiſtentium, ter de die abſolvendis; cum earum annotatione, triplicis examinis, conſcientiæ, orationum, intentionis, explicatione. Et de Regulis modeſtiæ, ubiq; à Clericis ſervandæ.



AU-

AUTHORES

Ex quorum Authoritate, & ſenſu, Libellus hic compactus eſt, & ſuper quâ fundatur, præter Doctores, qui ſparſim in illo adcitantur, ſunt: *Bellarminus*, *P. Naisl Ord: Bened:* liber *ſpeculum Cleri:* & *Hut* Sacerdotis ſæcularis libellus *Tyrocinium Seminariſticum* intitulatus, approbati, atq; *Concilium Tridentinum.* Cum cæt.



INSTRUCTIO I.

De Seminario ejusq; Origine ac fine; De Clerico ejusq; obligatione in Seminario.



SEminarii Nomen, primum à S. Concilio Tridentino ortum habet, in quo ex Decreto Patrum ſic vocatum eſt, quod in illud ſemina, Divinâ vocatione electa, boni ſcilicet, & benè commendati Juvenes, aut viri probatæ vitæ, ſuſcipi debeant, de quorum indole ſperari poteſt, quòd fructum in vinea Chriſti ſunt allaturi.

Quam nobilis & Sancta Origo Seminarii eſt, ex inde coniice, quod illius Inſtitutio prima, facta ſit à Summo Pontifice, ſeu Illius legatis, à Cardinalibus, ab Epiſcopis aliisq; in S. illo Concilio Patribus, ex univerſo orbe Chriſtiano congregatis.

Sancti illi Patres videntes maximam ſæculi illius corruptelam, tunc vel maximè, dum ex defectu bonorum Paſtorum, & Cleri indiſciplinati atq; negligentis ſocordiâ, ſcelera invaluerunt, factusq; Sacerdos ſicut populus, illeq; Hæreſiarcha Lutherus eiſdem ſcele-

ſceleribus ac vitæ diſſolutæ cæpit viam latam pandere, & quaſi coronidem imponere corruptelis, Sancti inquam illi Patres, in illo Concilio duo negotia pro objecto tractanda aſſumpſerunt: Scilicet: Confirmandi explicandi, elucidandi fidei noſtræ dogmata: ac reformandi reformanda in Eccleſia. Inter Capita ergo de Reformatione appoſuerunt decretum quod fecerunt de erigendis Seminariis in quibus juvenes vitæ innocentis, ad ſtatum Eccleſiaſticum inſpirati & deſtinati, tanquam novitii in ſuis clauſtris, congruenter, recteq; inſtituerentur. Sequitur hoc, eſtq; tale:

Decretum S. Concil: Tridentini de Seminario Seſſ: 23. Cap: 17.

Cùm adoleſcentium ætas niſi rectè inſtituatur, prona ſit ad mundi voluptates ſequendas: & niſi à teneris annis ad pietatem & Religionem informetur, antequàm vitiorum habitus totos homines poſſideat, nunquàm perfectè, ac ſine maximo ac ſingulari propemodùm DEI Omnipotentis auxilio in diſciplina Eccleſiaſtica perſeveret: Sancta Synodus ſtatuit, ut ſingulæ Cathedrales, Metropolitanæ atq; his majores Eccleſiæ pro modo facultatum & Diœceſis amplitudine certum puerorum ipſius Civitatis vel ejus Provinciæ, ſi ibi non reperiantur numerum, *in Collegio ad hoc prope ipſas Eccleſias, vel alio loco convenienti ab Epiſcopo eligendo alere, ac religiosè educare & Eccleſiaſticis diſciplinis inſtituere*

re

re teneantur. In hoc vero Collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos *& ex legitimo matrimonio nati sint: ac legere, scribere competenter noverint, & quorum indoles & voluntas spem afferat eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuò inservituros. Hos pueros Episcopus in tot classes, quot ei videbitur divisos juxta eorum numerum, ætatem, ac in disciplina Ecclesiastica progressum, partim cum ei oportunum videbitur, Ecclesiarum Ministerio addicet, partim in Collegio eruaiendos retinebit, aliosq; in locum eductorum sufficiet ita, ut hoc Collegium,* DEI Ministrorum perpetuum Seminarium sit. *Ut vero in eadem disciplina Ecclesiastica, commodius instituantur,* Tonsurâ statim atq; habitu Clericali semper utentur; Cantûs, Computi Ecclesiastici, aliarumq; bonarum artium disciplinam discent, Sacram Scripturam, Libros Ecclesiasticos, Homilias Sanctorum, atq; Sacramentorum tradendorum, maximè, quæ ad Confessiones audiendas videbuntur opportuna, &c. rituum, ac Ceræmoniarum formas ediscent. *Discolos & incorrigibiles ac malorum morum Seminatores acriter punient, eos etiam, si opus fuerit expellendo: omniaq; impedimenta auferentes, quæcunq; ad conservandum & augendum tam pium & Sanctum institutum pertinere videbuntur diligenter curabunt* (i.e. Episcopi) &c.&c.hucusq; Decretum Concilii.

Quàm sancta illorum Patrum circa Institutionem Seminarii fuerit intentio, quam saluberrimus ejusdem finis reflectenti se supra sensum Decreti facile patebit, proinde. *Consid:*

Considera 1mo. Decretum hoc intendit, *ut à teneris annis ad pietatem & Religionem informati sint juvenes* ad Seminarium recipiendi. Ergo qui à prima Innocentia longè recesserunt, qui se malis habitibus vitiorum imbuerunt totos quantos se pessimis moribus possideri sentiunt, tales potiùs alium statum eligere, vel ad claustrum se sequestrare in propriæ animæ medelam satagant, non verò ad aliorum curam animarum assumi præsumant: nam qui mergitur, à fortiore juvari debet, ne fortè mergenti ferens subsidiū ipsemet mergatur in profundum.

Consider: 2do. Patres Concilii *Pueros* ad Seminarium suscipi voluerunt ex intentione boni melioris, persvasi, ac bene intelligentes quod in *Pueris* timor DEI necdum per peccata obliteratus, conscientia non cauteriata, innocentia morum tenerrima, cor ad devotionem molle, anima tanquàm purissima cera ad capiendas formas bonas capacissima. Qui ergo pueritiam evaserunt, nihilominus ad Seminarium suscepti sunt, necesse est: ut ad naturam illam puerorum se reflectant, atq; redeant. Pueri redduntur non sensu, sed simplicitate cordis, innocentia animæ, subjectione & demissione animi, obedientiā promptà, & alacritate ad quasvis artes bonas, ac qualitates huic statui necessarias acquirendas emineant. Atq; ad illud Xti effatum attendant: *nisi efficiamini sicut parvulus iste non intrabitis in Regnū Cœlorum Regnum Cœlorum* autem *præsentis temporis sæpe Ecclesia dicitur* dicit S. Gregorius.

Consid:

Consid: 3tio. Collegium hoc ad quod ſuſcepti ſunt Clerici aut Clericandi, *DEI miniſtrorum perpetuum Seminarium* vocant & ita conſtituunt Patres. Nam ut primùm Seminarium ingreſſi ſunt, ſciant ſe miniſterio Eccleſiæ mancipatos, & ſervitio Divino addictos, ita ut præter ſtudia bonarum artium, nil ampliùs cogitent, niſi ut quàm optimè officium ſuum in Eccleſia expleant, & ultra ad vitæ tempora irreprehenſibiliter DEO ſerviant.

Consid: 4to. In ipſo limine Seminarii ingreſsûs, jubet eſſe *Tonſurandos* Concilium, intendens nimirùm, ut id expleant in re, quod ſignificat tonſuræ Ceremonia, ut ſcilicet, ſicut Capillos à Capite per manum Epiſcopi, ſic curas ſuperfluas à cogitationibus ſæculariũ rerum abjiciant, per ſui mortificationẽ, & diligentem ab hinc rebus ſpiritualibus vacationem.

Consid: 5to. Declarando Concilium quibus ſtudiis & artibus in Seminario vacare debeant Tyrones Eccleſiaſtici eoipſo explicat Obligationes eorum, ex mente, Patrum & fine vocationis ac exigentia ſtatûs inductas: ut ſcilicet addiſcere ea conentur quæ *ad decorem Eccleſiæ atq; ordinem ſpectant* & hæc ſunt: *Cantus Choralis, computus Eccleſiaſticus, de horis Canonicis & ritibus Miſſæ* atq; *cæremoniis.* Item ut addiſcant ea, quæ ad aliorum ſalutem procurandam ſpectant & hæc ſunt: *Notitia Sæ Scripturæ, Sacramentorum tradendorum modus,* maximè *audiendorum Confeſſionum ars,* arsq; *Converſationis Spiritualis* & *Paſtoralis* inter homines

mines. Et hæ sunt obligationes Tyronũ Ecclesiastico-rũ in Seminario existentium: ut ea discant, in quibus ut instruã; de singulis, ut à capite libri appromisi, singulas dabo Instructiones. Itaq; explicata origine Seminarii ejusq; fine, ostẽsis quibusdã de Clerico seu Seminarista, ejusq; in Seminario obligationib9, ex Authoritate Cõcilii Tridentini; jam modo sit:



IN-

INSTRUCTIO II.

De modo meditandi. De practico examine Conscientiæ, & practica methodo studendi utiliter, & cum fructu.

§ I.

De modo meditandi.

ANtequam modum ostendam, utilitatem meditandi adducam. De hac S. Bernardus sic asserit: *Meditatio primum quidem mentem purificat, deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ordinat, agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat aut incorrectum, aut correctione egens.* Rursùs idem ipse alio loco dicit: *Defectus meditationis hominem in cor durum & insensibile ducit.* Cor durum efficitur, ubi meditatio negligitur, & ad omnem piam admonitionem atq; instinctum insensibile: non absimile illi petræ de qua Christus: quod semen super illam

cadens, aruerit, quia non habebat humorem *terra deserta & invia, & inaquosa.* Terra absq; humore, cor absq; meditatione:

Negligentes meditationem similes sunt nautis, qui frequenter quidem pondus aquæ è navi ejiciunt, nunquàm tamen advertunt, per quas nam rimas unda irrepat, aut quomodò ei ingressum occludant, & sic semper quidem laborant, nunquam tamen periculum evadunt.

Ita multi sunt hodiè qui ejectis è navicula cordis iniquitatis aquis, autumant jam rem salvam esse, absq; ulla reflexione, qua occasione in similia peccata inciderint, quibus falcibus, aut quâ securi occasiones peccandi abscindendæ, quæ medicamina pro curandis vitiis adhibenda, quo freno petulantia carnis coercenda, quo fune instabilis voluntas bono adstringenda: quod nam sensibus frenum injiciendum: quonam pabulo virtutes nutriendæ.

Bene novit utilitatem & necessitatem meditationis Franciscus Suares qui dicere

re ſolebat: *Malle ſe privari univerſa ſcientiâ Theologicâ, quam unica meditationis horâ.*

1. Meditatio enim imprimis *illuſtrat intellectum* ita, ut clarè intelligat non ſolùm ſpiritualia, ſed etiam ſcholaſtica quæ ſtudium concernunt bonarum artium: ſic S. Franciſcus Seraphicus, etſi illiteratus, ita tamen aptiſſime atq; ſublimiter de Scripturæ ac Theologiæ difficultatibus interrogatus reſpondiſſe traditur, ut Doctores Theologos longe ſuperaret. S. Bonaventura faſſus eſt ſe non aliunde ſuam hauſiſſe doctrinam, quam ex meditatione Paſſionis Xti. Regius Pſaltes dicit: *Super omnes docentes me intellexi* rationem ſubjungit iſtam: *quia teſtimonia tua meditatio mea eſt.* Qui ergo vis eſſe ſcientificus, meditare.

2. Meditatio *inflammat voluntatem* aut commovendo illam ad deteſtanda peccata ſi ſit deſtituta gratiâ, aut conſtanter ut teneat quod habet, ſtatum gratiæ, ne amittat, quem habet. Eſt quippe exercitatio meditationis tantæ virtutis ad præcavendos lapſus ut auſim dicere: Si

homo consideraret, non peccaret; quia meditatio proponit tot gravissima pondera fugiendi peccata ut voluntas eisdem quasi necessariò convicta ac tracta, omne peccatum à longè fugiat, horreat, abominetur. Si ergo voluntas humana malo assentitur, inde provenit, quia ab intellectu, resistendi motiva non proponuntur, quia per neglectum meditationis non expenduntur.

3. Meditatio *memoriam satiat* svavitate Cœlestium, & jucunditate rerum spiritualium, exonerat illam vanarum cogitationum fœcibus, impuris imaginationum objectis, adimplet variorum luminum thesauris.

4. Meditatio tribuit *acumen in cogitando, constantiam in volendo, prudentiam in loquendo, discretionem in operando, fortitudinem in patiendo.* Est præparatio ad orationem, dispositio ad contemplationem: ductrix ad perfectionem, nutrix pietatis, conservatrix puritatis.

Porrò. Meditatio *est alicujus veritatis affectuosa ac practica investigatio per exer-*

citium

citium trium animæ potentiarum facta, ita ut intellectus applicet se ad objectum quod meditatur exponendo accuratè omnia, adducendo rationes seu motiva (quæ vocantur *lumina*) sententias Sæ Scripturæ, Patrum, exempla Sanctorum, in eum finem, ut voluntatem ad bonum moveat, præ supposito, quòd circa illud objectum memoria materiam cum circumstantiis loci temporis, personarum, subministraverit. Seu *memoria* debet suggerere materiam & objecta meditationis; *Intellectus* circa illa discurrere *vg.* per particulas quis, quid, ubi &c. *Voluntas* convicta rationibus & illustrata, moveri aut ad vitæ emendationem, vel majorem perfectionem, erumpendo in affectus varios, & proposita.

Meditatio alia est *dicti* quæ instituit suos discursus circa dictum seu verba Christi, sententiam sancti alicujus &c. alia circa *factum* uti est: meditando historiam Passionis Xti &c.

Tempus pro meditatione maximè congruum, matutinum est, prout dicit Psal-

tes

tes Psal: 62. *In matutinis meditabor in Te.*

℣. 1. Requiritur ne aliqua dispositio ad meditationem?

Priusquàm respondeam; Dispositio alia est *remota* estq; ipsa pia vita meditantis, nam certum est. quòd anima ad hoc exercitium est expeditur, & supernæ illustrationis capacior, quô magis est à vitiis purgata, & à variis rumoribus remota, quæ cavet lumina in meditatione concessa negligere, conceptaq; proposita, metuit parvi pendere. Alia Dispositio est *proxima* quam explicando.

℟. Requiritur ad meditationem omninò *Dispositio proxima* quæ in his 5. subsistit.

1mo. In aptitudine Corporis ut scilicet caveatur excessus in cibo & potu, ne per excessum haberentur sensus, & Spiritus per gravedinem & somnolentiam corporis impediatur ritè fungi officiô suô.
2do. In Electione loci à tumulti liberi.
3tio In abstractione ab omni malo negotio.
4to. In præparatione materiæ sibi cõgruæ.
5to. In invocatione Sancti Spiritus.

Quoad materiam. Hæc debet vel ex ali-

aliquo Afceta, vel Sacra Scriptura Doctrinali aut hiftoriali, aut ex Concionatore, præparari, congruè, ad vitium eradicandum, quod pro objecto meditationum affumptum eft fpecialiter, vel virtutem fingularem amplectendam, eligi, & priùs vefperè, aut de mane ante meditationem, prælegi.

℣. 2. *Sed quis eft modus practicas meditandi?*

℞. Eft ifte quem hic punctatim fubjició idq; multiplicem:

I. Modus practicus meditandi.

Poftquam bene recollectus, flectens, aut ex rationabili caufa fedens, te reverenter in præfentia Divinæ Majeftatis totiusq; cœleftis militiæ conftitueris:

1mo. Perfpicienda eft natura rei propofitæ *vg.* deformitas vitii, aut pulchritudo virtutis: poft quos actus intellectus, ftatim fequuntur ex parte voluntatis actus deftinationis, odii, horroris, tam abominandi vitii; aut actus defiderii & amoris tam amabilis virtutis.

2do. Inſpiciendi ſunt effectus, quibus nempè bonis vitium prout eſt peccatum, hominem privet, & quæ mala inducat: *Item* quæ bona impediat, & quæ mala poſt ſe trahat, jàm ex parte voluntatis exſurgit major flamma odii, deteſtationis, & abominationis ejuſmodi vitii.

3tio. Te ipſum ex anima an hujuſmodi vitiô ſis infectus? quantùm & quamdiu? quâ occaſione in illud incideris? cur non citiùs te ab eo extricaveris? *Item* quibusnam radicibus potiſſimùm, in te firmetur? & per quidnam maximè roboretur? Huic diſquiſitioni correſpondent ex parte voluntatis ſimiles actus & affectus, actus propriæ diſplicentiæ, propriæ vilipenſionis, odii ſui ipſius; actus doloris, contritionis, propoſitum emendationis; actus admirationis ſuper propriam ſtultitiam, quod tam vili rei adhæſeris, ſuper bonitatem DEI, quæ te tamdiù tulit, quòd te infernus non pridem deglutiverit &c. Gratitudo pro patientia DEI, petitio veniæ illuminationis, ut cognoſcas, quomodò ab iſto malo liberari debeas.

4to. Cogitabis de mediis, varia tibi ob oculos ponendo, eorum aptitudinem discutiendo &c. Sequitur ex parte voluntatis eorum electio quæ judicium præ cæteris maximè approbat. Propositum, in effectu ista media constanter adhibendi.

5to. Ut media consequantur finem, & propositum tuum fiat stabile, necesse erit vitare ampliùs peccandi occasiones, quæ illæ sunt vitandæ? quæ cavenda pericula? quomodo illis obviandum? *Item* quænam in his omnibus difficultates sint superandæ! Et quia voluntas ad vincendas difficultates, ad relinquendas commoditates, & naturæ gratas occasiones, forsitàn adhùc langvida & nedum satis prompta est hinc:

6to. Fortiter refutandæ sunt omnes impugnationes, omnes svasiones carnis, omnes fraudes mundi, & diabolicæ tentationes, dissolvenda sunt argumenta virtuti contraria: apprehendenda est magnitudo & dulcedo victoriæ, &c. Et huic resolutioni tamdiu innitendum est, donec voluntas plenè persvasa, concipiat spem

de

de Divino auxilio, induat fortitudinem, atq; amore & desiderio virtutis, omnes difficultates contemnant.

II. Modus practicus meditandi.

Facillimus modus meditandi per particulas sequentes:
Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo? quando?

Sic de Passione Xsti factum meditaberis? Quis patitur? æternus DEI Filius Patri per omnia æqualis, principium & finis, *initium omnis creaturæ per quem omnia facta sunt!* cui famulantur Angelorum Chori! *quis* passionis *ejus causa?* miser homuncio, mancipium sathanæ, pulvis & putredo; O mira Divinæ bonitatis dignatio! o amor incomprehensibilis! *quid patitur?* funes, catenas, sputa, alapas! o tantam majestatis ignominiam! o tantam hominis superbiam, & ingratitudinem passioni Dominicæ, si vel unicam molestiam, aut contumeliæ verbum impatiens sustineat! *ubi patitur?* in loco cui tot contulit gratias, *ubi transivit benefaciendo &*

ſanando omnes: o extremam perverſitatem humanæ ingratitudinis! quid ergo doleo ſi pro gratiis ingratos habeam? *quibus auxiliis?* tradente Juda commenſali ejus qui *intingebat manum in paropſide* cum JESU! O meam inpatientiam! Et ingratam oblivionem patientis JESU, ſi doleo ſi conqueror quod *frater propinquus ſupplantat me*, non amplius Dne JESU relinquam te traditum pro me, captum ligatum; tecum in vitam & in mortem ire volo, non te deſeram per impatientiam ſi ab illis tradar, illudar, aut ſupplantatus fuero, qui ſunt fratres mei, propinqui mei &c. *Cur hæc patitur?* certe *innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, Xſtus ſpiritus oris noſtri captus eſt in peccatis noſtris.* Captus eſt ne ampliùs peccatis implicemur, ut *in libertatem Filiorum DEI* evadamus. Heu! anima mea tàm amantiſſimo, tam dulcisſimo Captivo tuo ingratiſſima cur te iterum peccatis implicas! occaſionibus innectis? Ah! Domine JESU pro me funibus ligate! *Diſrumpe vincula colli tui*, & dexteræ tuæ potentiſſimæ catenas diſſol-

ve,

ve, vide quoniam *funes peccatorum circumplexi sunt me!* exere potentiæ tuæ vires ut tibi in libertate cordis mei canam *dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis*, abrumpe funes habituum meorum in peccatis, solve compedes affectuum creaturarum &c. &c, *Quomodo* patitur? Captus fraudulenter ligatus violenter, tractus crudeliter & inconsideratè, tractatus ignominiosè, tanquàm latro, & transfuga, qui *quotidiè docens erat in Templo*, qui *transibat per medium eorum & nemo poterat in eum manus injicere, quomodo* ego subterfugio labores, molestias, delicatus Xsti miles, non patior fratris inconsiderati fragilitatem, Xstus voluntariè ea subiit, ego voluntariè & quæsita arte, ea subterfugio quæ sunt molesta carni, animæ tamen salutaria! Siccine Xstum sequor? &c. *quando? ea passus?* tunc quandò exploratam habuit voluntatem Patris per Angelum offerentem Calicem passionis! tunc, quandò quasi per nuntium cœli demandatum fuit desuper ire in occursum & manus hostium! O meam volun-
tatis

tatis propriæ cum Divina distortam ingratam atq; stultam extremè difformitatem! vult DEUS ut patiar, Christus patiens svadet *in patientia vestra possidebitis animas vestras* ego autem incuso DEI providentiam, conqueror dolores! amissiones, molestias &c. Non ampliùs Domine &c. Sic quamcunq; dicti vel facti materiam meditaberis per particulas istas non sterilem hunc meditandi modum experieris. Quamlibet particulam ita discutiẽdo prout tuæ congruet materiæ, necessitati, & circumstantiæ tuæ Personæ.

III. Modus practicus meditandi.

Si per modum Concionis meditatio instituatur. Quemadmodum enim concionis ad alios, scopus est ut per eam vitium eradicetur, virtus implantetur, ita meditationis quo ad se idem finis est ut vitium evellatur, & loco ejus virtus inseratur. Propterea in utraq; hac adferuntur rationum motiva, argumenta ut voluntas per ea ad bonum impellatur, & à malo fugiat.

Itaq;

Itaq; in meditatione concionatorem te ipsum finge, locum in quo es, Catedram; animam, ejusq; potentias, Auditores: quæ demûm, quid in medium afferat memoria; quid circa id. dicat intellectus, quid laudet, quid vituperet; quem, in quo, quoties, & quantum arguat, auscultant, in affectus prorumpunt, & statuunt executioni dare per media proposita, factum propositum. Tota deniq; meditatio ferventi concluditur colloquio. Sicut autem Auditores modicum fructum referunt si consideraverint vultum suum in concione tanquam in speculo, & quales fuerint, statim obliviscuntur: sic etiam qui non recogitat & exequitur facta proposita. Idcirco quæ in meditatione pro extirpandis passionibus, aut virtutibus inserendis proposuisti, occurrentibus occasionibus executioni manda, sæpè enim alias inania nostra essent proposita, si ea non perpetuò diligens consideratio & reflexio, & jugis executio comitetur, ut autem hoc serves efficaciùs, circa finem meditationis cuncta quæ tractasti contrahe in breve

com-

compendium, cum luminibus & propositis annota, statue saltem semel ea in hebdomada relegere & mente recapitulare, & in eorum recapitulatione Spiritum renovare, discretam tibimetipsi pænitentiam injungendo pro casu eo, quo recesseris à lumine & proposito annotato. Et hoc hucusq: annotatum sufficiet de meditatione isto locò, plura in Ascetis releges, nunc sit.

§ II.

De modo examinandi conscientiam.

Examen Conscientiæ hoc ordine procedere debet.

1mo. Gratiarum actio DEO pro beneficiis receptis isto tempore quod transegisti à præcedenti examine, fiat.

2do. Fiat petitio luminis ut possis latebras conscientiæ tuæ perlustrare: nam sicut summa sapientia est nosse seipsum, ita ut magnum est donum à Patre luminum est implorandum.

3tio. Instituatur studiosa discussio conscientiæ absq; mentis divagatione huc atq; illuc.

4to.

4to. Tandem fiat dolor de commiſſis vel omiſſis, & propoſitum.

Porro in Seminario Examen eſt 3plex.

Matutinum In quo conſiderandum, quomodo transacta ſit nox præterita? in quibus actibus & cogitationibus &c. an non plùs ſomno indultum quàm neceſſitas naturæ poſtulaverit? quà ſtrenuitate ſe ſe à lecto avulſerit? an prima cogitatio fuerit ad DEUM an ad alia varia, illicita? an omnia opera facienda DEO obtulerit?

Pomeridianum In quo examinandum: quomodò poſt meditationem matutinam in bono profecerit, an ſervata vel omiſſa ſunt propoſita & alii actus boni? quomodò impenſum tempus ante meridianum ſtudiis, lectioni ſcholaſticæ, auditioni miſſæ? An nihil otio datum aut inutili labori, non neceſſariæ ambulationi, aut locutioni? O! quantum perditur ſi vel momentum temporis præſertim in Seminario tanquàm in loco exercitii damnosè tranſigitur!

Veſpertinum In quo expendendum: *1mo* quænam diſciplina fuerat ſervata in

Eccleſia

Ecclesia an non erubuerit sui ordinis explere officium, aut detrectaverit & inobediens murmuraverit subterfugiens &c. an non discursiones absq; necessitate fecerit de loco in locum, non servata in actionibus modestia Clericali; an studiosè suæ functioni invigilaverit & eâ exacte functus fuerit. &c. *In Scholis* an sedulò lectioni, scriptioni, explicationi, Professoris aut correpetitoris studuerit & intenderit. An modestiam Clericalem oris & operis plenè tàm intrà quàm extrà servaverit &c. *In Refectorio* quæ mensæ disciplina servata fuerit? quæ circa quantitatem & qualitatem ratio servata, jejunali præsertim tempore? quæ modestia in comedendo, bibendo sedendo & etiam in loquendo observata? quæ attentio ad lectionem spiritualem mensæ adhiberi solitam? quomodò Oratio præmissa, & gratiarum actio post mensam absoluta, an ore tantùm vel etiam & corde, attentè an distractè & sine gratitudine DEO debita? &c. &c. quomodò in cellis & in curritoriis se habuit? *2do.* Quomodò reliquum tempus

 pome-

pomeridianum usq; adhuc fuerit expensum, quâ constantia in propositis & emendatione passionum? an tempore indifferenti lectio spiritualis ad proprium profectum adhibita, an non intermissa lectio Casuum, Concionatorum, & aliorum necessariorum huic statui &c.

Adverte præter ista examinanda semper præ oculis habe vitium speciale cui obnoxius es, aut virtutem quâ maximè eges.

Quoniam autem in Seminariis post meditationem sequuntur studia seu speculationes legendorum, idcircò & hic jam sit.

§ III.

De Modo studendi.

Studium est veritatis indagatio, undè tàm multiplex est studium quàm multiplex est veritatis indagatio. Sic qui indagat varios Scripturæ Sæ sensus: *Studiosus Theologiæ positivæ*; qui doctrinam aliásq; veritates ex S. Scriptura aliisq; locis Theologicis eruere laborat *Theologiæ Scholasticæ seu speculativæ*; qui Hæreti-

corum

corum & infidelium errores refellere ſolicitus eſt *Theologiæ Polemicæ*; qui Mandata Divina & quæſtiones circa ea occurrentes in ordine ad mores ordinandos inveſtigat, *Theologiæ Moralis*; qui hominem in ſtatu Evangelicæ perfectionis inſtruere, ejusq; affectus in DEUM dirigere & movere cogitat *Theologiæ Myſticæ ſeu Aſceticæ* ſtudioſus eſt.

Porro ad ſtudendum *2plex* præparatio requiritur: *Remota* quæ exigit.

1. Conſcientiam ab omni peccato gravi immunem nam ait ſapiens Cap: 1. *In malevolam animam non introibit Spiritus ſapiẽtiæ, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.*

2. Ut recta ſtudiis præfigatur intentio & finis ſupernaturalis præſumatur acquirendæ ſcientiæ, nam legere aut ſtudere, ſolùm ut docti efficiamur malum eſt ut dicit S. Bernardus: *Sunt qui ſcire volunt eô tantum fine ut ſciant, & turpis curioſitas eſt: & ſunt qui ſcire volunt ut ſciantur ipſi, & turpis vanitas eſt, & ſunt item qui ſcire volunt ut ſuam ſcientiam vendant, & turpis quæſtus eſt: ſed ſunt quoq; qui ſcire*

volunt ut ædificent, & charitas est. Tales vani studiorum competitores attendant ad verba S. Pauli 1. ad Cor: 13. dicentis: *Si habuero Prophætiam & noverim mysteria omnia, charitatem autem non habuero, nihil sum: Proxima* præparatio in his consistit.

1mo. Habere mentem ab omni distractione liberam, & in se bene recollectam.

2do. Ut sit locꝰ ab omni strepitu immunis.

3. Præmittenda S. Spiritus invocatio atq; petenda mentis Illustratio cum ejus ad DEUM elevatione juxta exemplum Salomonis dicentis *Invocavi, & venit in me Spiritus sapientiæ.* Sap: 7. Et monitum S. Jacobi Apostoli. *Si quis autem vestrum indiget sapientiâ postulet à DEO, qui dat omnibus afluenter.*

Q. *Quomodo practice instituendum est studium.*

℞. Juxta sequens Distichon.

Scribe bene, ausculta, bene discute, quære, duella.

Multa nota prudens, sic bene doctus eris.

Scribe bene: Idest scripta, sive à Professoribus (ut fieri solet) dictata, habeas

integra

integra, & accurata cum interpunctionibus ad sensum, sine erroribus. Quæ subducenda sunt, sint lineâ subducta; quæ omissa, non tempore explicationis, sed domi supple.

Ausculta: Idest explicationi, tuæ lectionis attendas, materiam explicatam relegas, ad ea, quæ non intelligis subsiste, & ea rumines & scrutare.

Bene discute: Idest tuam stude penetrare sententiam, quid asserat, quid neget, quodnam sit ipsius præcipuum fundamentum, & quodnam adversariorum, hæc inter se confer: *vg.* hic est status quæstionis, hæc nostra sententia, hoc fundamento nititur, hoc Adversarii objiciunt, sed ita solvitur. Omnia ista perspice, ut remotis scriptis totam quæstionē summatim quoad substantiam recitare valeas ac aliis explicare. Si quæ occurrant, quæ non intelligis, hæc in charta nota. ac

Quære: Idest desuper explicationem non intellectorum pete; plùs enim prodest interdùm aliqua loci obscuri explicatio, quàm multarum horarum speculatio.

Duella: Ideſt diſputa, nàm veriſſimum eſt Cardinalis Cajetani dictum: *Circulus* ideſt Diſputatio, *& calamus* i. e. ſcriptio, *fecerunt me doctum.*

Multa nota prudens: Si vis annotare, quod ſvadetur annota:

1. *Prudenter* non omnia ſed rara.

2. *Distinctè* ut ſuo tēpore invenire valeas.

3. *Constanter* ut te non frangat labor.

4. *Bene lecta & intellecta*: hinc ad alia non propera, niſi lecta adæquatè intellexeris. Ante omnia vero lege diſtinctè tuam lectionem, quam ſi perfectiſſimè intellexeris, tunc primùm alios Authores cum fructu legere poteris. Hæc cuiq; ſtudenti obſervanda ſunt,

Modò nonnullæ regulæ diverſarum claſſium ſtudioſis præſcribuntur.

1mo *Philoſophi* non abſterreantur labore & obſcuritate ſubtilis tractationis Philoſophicæ: ſed cogitent ſe poſt ſpinas collecturos roſas, & quòd nullus omninò ſcientias ex fundamentô addiſcat, niſi omnium ſcientiarum fundamentum Philoſophiam addidicerit & intellexerit, in hac

enim

enim omnium artium principia ſunt recondita.

2do Theologi Scholaſtici ſcriptis benè intellectis, Authores, præſertim adverſarios legant, ut contrariæ ſententiæ fundamenta perſpiciant ac ſolvere diſcant, præcipuè ſe utilioribus *vg.* Polemicis &c. quæſtionibus impendant.

3tio Theologi Polemici advertant præcipuè ad ea, quæ de fide ſunt, quæ à Conciliis, Eccleſiâ, vel à Pontificibus ſunt jam definita, & quomodò poſſint ea probare, objectiones ſolvere.

4to Theologi poſitivi ante omnia ſciant regulas S. Scripturam interpretandi, deindè ſenſum literalem, poſt hunc alios, & deniq; dogmata eruere laborent. De quibus infra.

5to Theologi morales: Sua intelligant & ſummatim addiſcant memoriter, multos Authores non legant, nam diverſitas reſolutionum, cauſabit mentis confuſionem; ſibi ipſi caſus forment, uti & objectiones & ſolutiones. Præcipuè attendant ad principia univerſalia ex quibus

particularium caſuum deduci poteſt reſolutio.

Q. *Quomodo repetitiones lectionis faciendæ?*

℞. Repetens memoriter dicat quæ legit & intellexit, non ex charta, ſummam materiæ enarrando. *vg.* Repetimus hodie hanc quæſtionem, ſtatus quæſtionis eſt hic, prænotanda ſunt hæc, iſti AA. hanc tenent ſententiam, ex iſta præcipuè ratione. Reliqui patienter audiant & taceant, donec hæc perfecerit Repetens: deinde dubia primò conſtituti, poſtea reliqui, ſi quæ habeant, proponant. Reliqua prudenti & maturo judicio relinquuntur Repetitoris.

Quomodò compendium faciendum alicujus operis Scholaſtici quemq; ſua informabit induſtria & in illo ſic procedendum ut ſuperiùs dictum de notandis.





INSTRU-

INSTRUCTIO III.

De Rhetorica Spirituali seu: De Concione & Cathechesi.

COncio & Cathechesis est *publicatio & declamatio Divinæ voluntatis facta hominibus per eum, qui legitime missus est ad animas docendas & promovendas ad serviendum DEO in hac vita, ut in altera salvi fiant.* Ex quo patet quod 2plex sit finis Concionis & Cathechesis. 1. *Proximus* est ut populus doceatur ea quæ scire debet ad Christianè vivendum, *Item* ut moveatur ad fugienda mala & facienda bona. 2. *Remotus*: seu ultimus, est salus animarum per servitium DEI.

Quàm gravis est finis uterq; tàm gravis est obligatio: & grave aliàs peccatum omissio doctrinæ populi; juxta aliquos peccatum mortale est ad spatium mensis integri negligere Cathechesim & Concionem ad populum, juxta alios ad longiùs paulò tempus. Qui autem juxta exigentiam Decreti S. Concilii Tridentini

tini quolibet die Dominico & festo instruunt populum, illud sibi vendicare possunt quod Dan: 12. dicitur: *Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Quoniam autem quoadmodum distincta esse videntur, Concio & Cathechesis, ideoq; de illis distinctim agendum, proinde sit.

§ I.
De Concione.

Concio alia est *Deliberativa* seu *svasoria*; per quam svadetur bonum aliquod spirituale, ut frequentatio Sacramentorum prosecutio virtutum &c. vel *dissvasoria*, per quam disvadetur aliquod malum spirituale uti est vitium; peccatum in genere vel particulari. Et talis Concio sit frequentissimè.

Alia *Panegyrica* per quam laudantur, DEUS, Christus, Sancti, Defuncti. In hac observanda sunt sequentia. 1. Ut nunquam Concio sit Panegyrica tantùm,

ſed ſimul ſaltim à medietate ſui ſit doctrinalis ad populum, ſvaſoria virtutis & adhortativa ad imitationem ejus cui Panegyris eſt præmiſſa. E. G. Si à vita fuit laudatus Sanctus, à virtutibus primariis, ab operibus heroicis, ad auditores fiat adhortatio ut conentur pro poſſe in illis Sanctum imitari. 2. Ut inter Sanctos ſimilitudo non inſtituatur, vel Sanctus unus, alteri, non præferatur, non enim hæc ſunt in laudem Sanctorum ſed potius in depreſſionem: Lege de hoc *Thomæ Kemp: lib: 3. cap: 58.* 3. Concio funebris hôc modô fructuoſe fiet, ſi virtus quædam defuncti laudabitur, & ad imitationem proponetur, vel ex vita tota defuncti, ſignis prædeſtinationis, bonis operibus laudem ejus proferendo & tandem adhortationem populi ad ſimilia faciendo.

Alia *Dogmatica* Concio eſt, in qua Dogmata fidei noſtræ proponuntur & firmiſſimis rationum argumentis probantur. Deindè adducuntur errores adverſariorum Hæreticorum & infidelium, atq; contrariis argumentis diſſolvuntur. Q.

Q. 1. Quæ materia in Concionibus sint proponenda?

℞. Sicut non omnibus hominibus conducit idem cibus corporalis, sic nec omnibus idem cibus spiritualis: Sed debet se Concionator accommodare Auditorum suorum conditioni. Alia enim rusticis alia Civibus, alia nobilibus alia Ecclesiasticis proponenda materia. Optimè faciet Parochus, si statum animarum sibi commissarum in sua Parochia consideret: Quæ abundant vitia perspicaciter ea speculetur, eorumq; per alphabetum faciat Cathalogum *vg. A* Ambitio, Adulterium &c. *B* Blasphæmia. *C* Concionum Catechesum neglectus. &c. *D* Discordiæ Duella &c. *E* Ebrietas &c. &c. Vel quibus virtutibus maxime egeant Parochiani oppositis eorum vitiis attendat; itaq; ea tractanda in concione assumat: turpitudinem, inhonestatem, nocumenta vitiorum; pulchritudinem, honestatem, fructum ac utilitatem virtutum, in singulari explicando. Rudibus autem præcipuè explicentur necessaria necessitate medii,

&

& neceſſaria neceſſitate præcepti. Explicentur præcepta Decalogi & Eccleſiæ, gravitas mortalium peccatorum, & venialium, effectus ac turpido: neceſſitas actuum virtutum Theologicarum, & modi eas eliciendi oſtendantur. *Item* modus ſuſcipiendi Sacramenta præcipuè pænitentiæ, eliciendi contritionem perfectam & imperfectam cum propoſito ampliùs non peccandi: modus ſuſcipiendi Euchariſtiam. Adhortentur ſæpiſſime ad Sacramentorum ſuſceptionem, exprimendo eorum dignitatem, neceſſitatem, utilitatem. Hæc & ſimilia proponantur, ut virtutes implantentur, vitia extirpentur. Hæc eadem materia poteſt ſæpiùs proponi & quaſi repeti ſeu recapitulari, ſed non eodem modo, at novis argumentis, aliis figuris comparatis.

Q.2, Unde ſumenda argumenta Concionis?

℟. *1.* Ex locis Sæ Scripturæ ut ſi *vg*, Concio ſit de ambitione quære in Concordantiis ſub litera *A* Ambitio *v.* ſub litera *S* Superbia & ſat invenies textuum *v.* in alio libro ſuti eſt Spanner, Lhoner per Alpha-

Alphabetum materias disponentes & alii Authores.

℞. 2. Ex locis Rhetoricis rationis adducendæ: E. G. si de charitate agatur (idem dic de cæteris virtutibus) expendi poterit 1. *locus à definitione* (per quam explicatur quid sit res) E. G. *Charitas* est unio animæ cum DEO, quanti ergo momenti est illa unio? quam jucunda? quam utilis? quam honorabilis? ideoq; omni conatu comparanda & conservanda. 2. *Locus a partium enumeratione* E. G. charitas alia est interna affectuum, alia externa operum: alia erga DEUM, alia erga proximum propter DEUM. 3. *Locus à minore ad majus* si omnis virtus amanda est, ut justitia temperantia continentia quanto magis charitas quæ est suprema & regina omnium virtutum juxta dictum Apostoli: *Fides, spes, major autem horum est charitas.* 4. *Locus à simili* adducendo id cum quo habet similitudinem V. G. sicut ignis non potest requiescere nisi sursum in aere, lapis in terra, quodlibet in suo centro, ita anima

nisi

nisi in charitate DEI. Vel sicut separatio membri à corpore est violenta ita animæ à charitate DEI. 5. *locus ab adjunctis* in quo considerandæ omnes circumstantiæ *quis quid ubi &c.* ita prout superius dixi ubi de medit: & hic proportionate applica. 6. *Locus à contrario* V. G. Si odium DEI est hominis summum malum, charitas erit summum bonum. 7. *à causis* in quibus res comprobatur vel improbatur *à sua causa materiali vel formali* quâ constat V. G. Cur ergo non amandum ex se bonum vel tam nobis bonum in creando conservando, benefaciendo &c. *à finali* ad quam dirigitur V. G. Cur non amandum, quod per totam æternitatem in Cœlis amorem propagat, quod per sui amorem in terris præparat nos ad perpetuum amorem in cælis nunquam interrumpendum &c. *ab exemplari cui assimilatur vg.* charitas est vitrum ustivum eo usq; urit quousq; habet materiam urendi ergo subministranda est materia charitati, recogitatio beneficiorum, excitatio cordis affectuum, &c. *vitrum ustivum* ca-

venda

venda ergo sunt peccata ne illud frangatur &c. 8. *Locus ab effectis* si explicentur effectus boni aut mali rei alicujus; uti quod charitas faciat hominē Filium DEI, hæredem cæli, pium, benignum, patientem, DEO & hominibus amabilem. 9. *locus à comparatione* Ut: si sponsa gaudet de connubio cum nobilissimo sponso, qui tantum est creatura, quanto magis gaudere debet anima per charitatem uniri DEO qui est omnium creator, hic locus ad amplificandum latissime patet, uti & locus ab Authoritate, testimoniis & exemplis. Plura Rhetorica subministret.

Q. 3. Quomodo practice compositio Concionis facienda?

℞. 1. Scopum certum præfigere sibi debet Concionator, de qua scilicet materia Concionem vult facere. Deinde thema conveniens materiæ suæ adinveniet ex Evangelio, vel alio Sæ Scripturæ loco. Post hæc cogitet de argumentis seu rationibus pro confirmatione suæ veritatis, quæ in schedula brevissime annotabit amplificanda, exornanda tropis & figuris(super

per quibus reflectet ſe ex Rhetorica) Deniq; in mente Concionem fabricabit, E. G. hanc rationem 1mo loco, illam 2do, iſtam 3tio loco adducam, tranſitionem iſtam ab una ad aliam faciam; ultimo ſcribitur & memoriæ mandatur Concio.

℟. 2. Practicè formatur Concio 1. *Per modum ſyllogiſmi alicujus* ut exordium majorem contineat, confirmatio minorem quæ deindè variè probari debet, ut nullus de veritate quæ proponitur, dubitandi ſit locus. In Epilogo ſit Concluſio. E. G. Scopus Concionis eſt: ut homines DEUM & proximum diligant. Sume Thema: *Diliges Dominum DEUM tuum, & proximum tuum ſicut te ipſum* Matt: 22. In duas partes divide Concionem: in 1ma agatur de dilectione DEI, in 2da de dilectione proximi, deindè forma ſyllogiſmum V. G. quando præcipit DEUS honeſta, utilia, neceſſaria, ei parendum eſt, atqui dilectionem ſui & proximi præcipit quæ honeſta utilis ac neceſſaria eſt, ergo ei parendum eſt.

Non tamen ſemper, vel ſaltim non de

omnibus instar alicujus sylogismi concio formari potest, præcipuè si sit de Sanctis vel aliqua historia explicanda est vel ut ajunt, exemplum. Tunc vel sumantur omnes circumstantiæ ex adjunctis, & moralia subjungantur; vel antecedentia vel concomitantia & subsequentia examinentur E. G. de Sancto tractetur primò infantia, *2do* Juvenilis ætas, *3tio* virilis vel etiam senectus &c.

2. Practicè formatur Concio per modum alicujus chriæ ita ut primo sit *Exordium*, secundò *Propositio; Confirmatio* probatur per reliquas chriæ partes scilicet per *Causam*, *Contrarium*, *sim litudinem*, *exemplum testimonium;* sit deindè *Epilogus.* Utilitas hujus praxis est *primo* quod statìm sciat Concionator qualia argumenta pro probatione confirmationis afferenda sint, deindè, quòd memoriam habeat localem, quomodo una pars sequatur post aliam. Item cum in confirmatione quinq; partes seu probationes habeat, si unius fuerit oblitus, habebit adhuc reliquas.

3. Practicè formatur Concio idq; facilli-

cillimè: Si doctrina valdè practica, & in quotidianum ferè usum veniens pro scopo & materia concionis assumatur. E.G. Virtus præ primis necessaria amplectenda, & vitium familiare vitandum: ubi 1. Virtus vel vitium explicetur, ut intellectus Auditorum benè illustretur, discatq; quid ab illis per talem doctrinam exigatur. 2. Modus quomodò virtus acquiratur vel vitium extirpetur. 3. Ejus actus ostendantur. 4. Una aut altera ratio, vel unus aut alter S. Scripturæ textus afferatur, ut voluntas excitetur ad talem doctrinam amplectendam, atq; ut hæc excitatio faciliùs obtineatur eam pulchrô exemplô confirmet. 5. Deniq; quia frequenter à tali doctrina practicanda Auditores vel per difficultatem operis vel certè per alias vanas persvasiones & excusationes absterreri se sinunt, ideò vanitas harum persvasionum ostendenda, mediumq; unum vel alterum ad facilitandam doctrinæ propositæ praxim est suggerendum. Cum proportione observetur hæc praxis si dogma fidei est proponendum;

videlicet explicetur 1. quid Ecclesia Catholica doceat. 2. Quomodo doctrinam suam ex verbo DEI probet. 3. Quomodo fundamentaliter adversariorum argumenta solvat. 4. Deniq; ad hanc doctrinam amplectendam fervidè & charitativè adhortentur Auditores. Hic ultimus modus practicus inservire potest ad componendam Cathechesim.

Q. 4. Quæ circa partes Concionis observanda?

℟. Sequentia:

1mo Thema Concionis, quod ex Evangelio vel lectione ejus diei assumptum est; aut in extraordinaria Concione ex alio loco Sæ Scripturæ excerptum, congruum sit materiæ, loco, & Personis. Si tale sit, quod in plures partes Concionem dividat præclarum est: quale est hoc: *Diliges Dominum DEUM Tuum &c. & proximum tuum &c.* Thema aliud videtur non congruere tali materiæ quam elegit sibi concionator, ex prima verborum sonantia; accedente tamen alicujus Patris interpretatione alium sensum mox so-

nare

nare videbitur & optime congruere ad materiam. Thema proferendum aperto capite & citato loco *vg.* dicendo: *ſą ſłowa zdopiero co przeczytaney Ewangelii. Vel ſłowa położone u Mateuſza S.w Rozdź:* 10. Et ſatis.

2. *Exordium* tam apte debet eſſe compoſitum ut per illud Auditor reddatur *attentus, benevolus, docilis*, juxta illud commune dictum: *in exordio captabis benevolentiam.* Erit autem Auditor *attentus* ſi non ſciatur quorsùm velit Concionator. *Benevolus* ſi hinc indè materiæ utilitatem vel neceſſitatem, ſuum erga Auditores amorem per varias figuras manifeſtet. *Docilis* ſi difficiliora occurrentia in Themate explicentur, materia tractanda clarè proponatur, in ſua membra dividatur. Exordia non ſint nimis longa, exordium enim eſt ad inſtar capitis, Propoſitio colli, Confirmatio Corporis, Epilogus, pedum; Nec nimis communia, ut poſſint ubiq; applicari; nimis extra materiam quæſita, ſed ſint ingreſſus ad ipſam materiam. Hoc autem fieri poteſt: 1. A ſententia

Authoris facri vel profani. 2. A proverbio. 3. A similitudine. 4 Ab historia. 5. A proposita quæstione, quæ deindè post aliorum varias responsiones inopinata responsione solvitur 6. ex abrupto. 7. Ex locis aliis intrinsecis superiùs allatis.

Alii in Exordio habent morem Evangelium per modum homiliæ, quod lectum est, explicare, deindè aliquid morale ad mores pertinens eruunt pro propositione, congruenter ad necessitatem Auditorum; & circumstantias eorum.

3. *Propositio* Contineat summatìm, quid Concionator dicere velit, quis sit finis totius concionis. Sit clara, brevis, materiam in duas vel tres partes dividat, (pro se potest quamlibet partem iterùm subdividere Concionator si opus fuerit) Post Propositionem solet fieri narratio, ita ut Propositio sit generalis, in narratione tandem sit Propositio specialis & concionis divisio. E. G. In Propositione dicitur: *DEUS & proximus sunt diligendi:* In narratione, quid dilectio utraq; sit & quotuplex &c.

4. *Confirmatio* ſeu propoſitionis probatio tribus conſtare debet.

1. Intellectum Auditorum ſolidis rationibus convincere ut voluntas moveatur ad id amplectendum, quod pro fine concionis habuit. Argumenta ita ſunt proponenda ut fortia ſint ab initio, mediocria in medio, fortiſſima poſtremo loco ponantur E. G. Si de charitate ſit concio. *1mo* De honeſtate hujus virtutis agatur. *2do* De utilitate. *3tio* De neceſſitate. Vel ſi de neceſſitate charitatis prædicatur ſint argumenta *1mo* ex S. Scriptura *2do* ex SS. Patribus *3tio* ex ratione naturali. Licet enim fortiùs argumentum eſt Sæ Scripturæ, quàm rationis, plùs tamen movet præcipuè ſimplices naturalis ratio quàm Sæ Scripturæ textus.

2. Plùs debet habere rerum, quàm verborum ſeu plùs de fructu quàm de flore & folio: hinc reſecandæ ſunt verborum inanium phraſes, macaroniſmi, verba ſuperflua, ſinonima non ponantur *vg. ten ieſt ſentyment czyli świadectwo y nauka*

Augustyna S. Będźiesz miłował czyli kochał P. BOGA twego. Konfirmuje y potwierdza tę prawdę Doktor Kościoła &c. Quae omnia sunt vitiosè dicta.

3. Confirmationis una probatio fluat ex alia sive id fiat per contingentiam unius ad aliam sive per connexam unius ad alteram transitionem. Et licet intelligant docti ubi nova incipiat concionis pars, consultiùs tamen est ut clarè & expressè indicetur transitio ab una parte concionis ad aliam partem, ut si contingat (quod accidit saepissimè) Auditores fuisse distractos, iterùm ad auscultationem incitentur, si audiant novam inchoari concionis partem.

5. *Epilogus* totius concionis conclusio est, ideoq; sit fervens, omnes eloquentiae fontes huc concurrant, argumenta praecipua in confirmatione adducta, hic brevissimè & nervosè repetantur, sed novo modo & alio, se totum quantum commotum ostendat Orator, nervosam addat sententiam in fine. Pro rudibus maximè valet, si historia aliqua adducatur

(modo

(modo non fabula, idq; ex Authore gravi ac probato) in conclusione.
Cōcione finita si quid promulgādū sit, clarê ac distinctè & non ruditer promulgetur.

Q. 5. Quid de voce observandum in concione?

℞. Sequentia: 1. Accomodetur loco, ut in parvo non sit nimis alta, aut in magno nimis demissa. 2. In exordio sit clara, in confirmatione sit acrior & incitatior, docendo, disputando increpando; variè inflectatur, quantum vires & materia patietur; in Epilogo, si deprecetur sit svavis, si lætetur sonora, si hortetur concitatior. Ut hæc discat concionator, consideret homines, quo tono utantur, dum irascuntur, rogant, dolent &c. 3. Maximâ dictionis parte vox sit media, ut facile fieri possit mutatio per ascensum vel descensum, ut evitetur vitium monotomiæ, quod committitur, si vox non inflectatur, sed in eodem tono peroratur concio. 4 Si vox sit imbecillior, cum affectu violento non assurgatur sed familiari tono oratio varietur. 5. Non sit nimis tarda, non nimis velox sed clara, so-

nora

nora, & nitida ſine cantilatione, affectatione &c. 6. In fine periodi reſpiretur, ſicut & ad interpuncta modicè, id enim dicentem reficit & audientem afficit. Curandum quoq; diligenter ut ultimæ ſyllabæ, quæ à multis abſorbentur, aut indecore conglobantur, clarè exprimãtur.

Q. 6. Quid de geſtibus in Concione obſervandum?

℞. Sequentia: 1. Geſtus eſt vox quædam totius corporis: Sicut ergo vox aliquando debet eſſe acrior, ſic & geſtus: ſicut vocis mutatio diſcitur ex tono, quô utuntur homines, dùm iraſcuntur, lætantur, triſtantur ſic & geſtus, quos facit iratus, gaudens, ſupplicans &c. 2. Geſtus in exordio ſit rarior, lenior, & modeſtior, niſi fortè ſit invectiva, quæ tamen ad Auditores fieri non debet in exordio: In propoſitione geſtus nullus ſit. In confirmatione acrior. In Epilogo vehementior & ſvavior, prout materiæ & finis intentio poſtulat. 3. Status corporis ſit erectus, virilis ac gravis, majeſtatem aliquam, & in docendo Authorita-

tem

tem protendens; undè non moveatur corpus modò ad hoc, modo ad illud latus, sed in medio plerumq; consistat. 4. Non semper ad unam partem gestus dirigantur; plerumq; dexterâ, aliquando sinistrâ, rarò utrâq; manu fiant. 5. Humeros gestus non transcendant. 6. Vocem gestus comitetur, si de cælo, oculi & manus ad cælum; si de inferno ad infernum: si de seipso ad seipsum &c. dirigantur. De cætero observandi & imitandi sunt Concionatores insignes & exercitati, ita tamen ut prudens cautela in imitatione adhibeatur, unum enim quæ decent, alterum dedecent. Undè consultum erit si amicus consulatur, qui sincerè aperiat, num in aliquo offendat vel deficiat.

Q. 7. Qui libri sunt pro Concionibus adhibendi?

℞. Multi sunt quorum usus est necessarius præcipui tamen sunt hi. 1. Biblia Sacra cum concordantiis, hæc enim abundant exemplis, historiis, sententiis, similitudinibus & textibus. 2. Interpretes,

uti

uti sunt Martini Brictii S. J. *Quæstiones exegeticæ in S. Scripturam*, Brunsbergæ editæ. 3. Cõcionatoris libri uti sunt Mathiæ Fabri, Lhoner biblioteca, Mansi biblioteca, Segneri omnia opera, Spanner, opera Drexelii. Barzias Christiani hominis excitator, & alii plurimi de quibus consulantur eximii Concionatores. Potest etiam inspici Breviarii homilia, ejusq; lectiones pro eo die incidentes.

§ II.
De Cathechesi.

Cathechesis licet ut Concio se habeat, speciali tamen definitione sic definiri potest, quod sit: *Instructio rudium de primis fidei & vitæ Christianæ fundamentis maximè de necessariis necessitate medii & præcepti.* Quam necessaria est rudium Cathechisatio ex eorum imbecillitate ingenii, obtusitate intellectûs, quisq; metiri potest, tum ex fine propter quem instrui debent, scilicet nisi instruantur de præmio æterno, de pænis æternis, de peccatis, de modo viven-

vivendi Chriſtianè, pronum eſt hoc genus hominum labi in multa ſcelera, & auſus nocivos reipublicæ Chriſtianæ. Tum niſi inſtruantur ab adoleſcentia, jam cum adulti fiant, ſunt ſæpè incapaces percipiendi ea quæ ſcire debent ad ſalutem neceſſaria. Non ſint ergo contenti Parochi, quòd parvuli à Parentibus domi doceantur, quia hi plerumq; ſunt ipſimet cæci & duces cæcorum, plurima corruptè, imperfectè, nec ad ſenſum, nec ad illuminationem docent. Parochorum munus proprium eſt rudes catechizare: Illi imitari debent bonum Paſtorem paſtorum, qui non abhorruit infantes inſtruere, ut relinqueret exemplum dum Apoſtolis dixit: *Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos: talium enim eſt Regnum DEI: & complexans eos, & imponens manus ſuper illos benedicebat eos.* Marci 10. Tum quia idem Chriſtus Petro & in eo omnibus Paſtoribus non tantùm oves ſed & agnos paſcendos commiſit, dùm dixit *paſce agnos meos* ideſt non tantum adultos maturo intellectu præditos,

ſed

sed & *agnos* ideſt parvulos, & rudes imbecilles ingeniô & intellectu. Secus ſi fecerint Paſtores animarum, timeant ne in judicio rudes, parvuliq; ſurgant, vindictam clamantes & dicentes: *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Thren: 4.

Q. 1. Quomodò doctrina Cathechetica inſtituenda?

℞. 1. Si per modum Concionis, poteſt ſic fieri uti ſupra de Concione dictum eſt. Hoc eſt *1mo* res *deſiniatur* quid ſit, & ratio detur ipſius definitionis ſeu illius fiat explicatio verbis vulgaribus capacitati rudium accommodatis. *2do* res illa *dividatur* per *diviſionem*. *3tio.* Explicetur, quæ illius rei *Cauſa* efficiens, formalis, materialis, finalis. *4to* Explicentur *effecta* illius rei ſeu quos effectus præſtat, illorumq; effectuum utilitatem, honeſtatem dignitatem explicet, vel ſi mali ſunt: malitiam, damnum, deformitatem &c. *5to* *Exemplum* ſeu hiſtoriam adducat. *6to* Tandem fiat Epilogus ſeu exhortatio ad rem bonam, dehortatio à re mala.

℞.

℞. 2. Est alia Methodus cathechizandi, eaq; talis sit: 1. Faciat sibi Parochus cathalogum puerorum & puellarum ab Anno sexto usq; ad Annum decimum sextum, quem sæpiùs oportebit inspicere, ut agnoscat an omnes sint præsentes qui interesse tenentur. Faciendi hujusmodi cathalogi optimum est tempus strenæ vulgo *po kolędźie* dictæ eô tempore enim Parochus descendit in Domos Parochianorum suorum non alio fine nisi 1. ut impertiatur illis benedictionem pro toto novo Anno. 2. Ut cognoscat statũ animarum in singulis domibus existentium, pacem, concordiam, docendo, in vitia, & virtutes domesticorum indagando, pueros & puellas de necessariis necessitate medii & præcepti examinando &c. 3. Ut cathalogum faciat omnium qui in domo sunt manentium hominum, ut possit habere notitiam, quæ pertinet ad Communionem & Confessionem Paschalẽ &c.

2. Parentes moneat ut libros mittant, aliàs mulctam illis dictet. 3. Doceat præcipuè necessaria necessitate medii & præcepti,

cepti, Sacramenta suscipiendi modos, eorum causam, effectus, sanctitatem, necessitatem &c. Item doceat opera misericordiæ, dogmata fidei, cognitionem peccatorum mortalium & eorum effectus, vitandi modos: quatuor novissima explicet. Et quidem eô modô explicet & doceat: ut *Exordium* sit repetitio prioris cathechesis, quæ ultima vice explicata fuit; *Propositio* contineat qualem doctrinam velit proponere. In *Confirmatione*, doctrina per quæstiunculas proponatur, quæ probetur ad captum parvulorum & rudium, doctrina moralis immisceatur, *Exemplum* eo pertinens adducatur. Deniq; ad sequelam boni, fugam mali, adhortatio sit, quæ erit Epilogus.

℞. 3. Ceterùm Cathechesis instituatur hôc modô (nisi alia laudabilis adsit consvetudo) certâ horâ signum detur campanâ: præmittatur Oratio Dominica, Salutatio Angelica & *Credo* pueri à puellis stent segregati, ad duas partes, Cathechista stans versùs populum, qui flectit versùs altare, formet signum Crucis: posteà

exa-

examinet proponendo puncta leviora parvulis, graviora adultioribus, eosq; ſi hæſitent, adjuvet, non autem confundat. Non utatur gravitate Hiſpanica, ſed cum pueris non erubeſcat repueraſcere ad exemplum Sancti Pauli qui de ſe teſtatur. *Facti ſumus parvuli in medio veſtrûm, tanquàm ſi nutrix foveat filios ſuos.* 1. ad Theſs: 2.

Q. 2. Quoniam ſicut factores Verbi non Auditores tantûm juſtificabuntur apud DEUM, ita & Prædicatores debent eſſe exemplares ac virtuoſi, ergo

Quæ virtutes requiruntur in Concione & Catechiſta?

℞. Sequentes: 1. Vitæ ſanctitas, ſiquidem: *Peccatori dixit DEUS, quare tu enarras juſtitias meas & aſſumis teſtamentum meum, per os tuum.* Pſal: 49. Quare juvat etiam corporalem pænitentiam præmittere, actus doloris, fidei, ſpei, charitatis, humilitationis elicere, ut cum Apoſtolo poſſit dicere Prædicator: *Caſtigo corpus meum & in ſervitutem redigo, ne,*

cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar. Et saluberrimum erit piæ meditationis exercitio affectum illum in se concitare, ad quem cupit Auditores impellere. 2. Bonum exemplum ad imitationem Christi qui *cæpit facere* & deinde *docere* & Joannis prædicantis, de quo dicitur Joan: 5. erat *lucerna ardens & lucens* quod explicando Bernardus ait: *Est tantum lucere vanum, tantum ardere, parvum, ardere & lucere perfectum.* Undè non debet esse similis illis de quibus Matt: 23. *Dicunt enim & non faciunt.* Imo si contraria dictis suis faciat Concionator, quilibet illi verbo aut cogitatione illud objicere potest: *medice cura teipsum.* 3. Oratio, cymbalum tinniens erit si S. Spiritus cor non moveat, ut moveat est orandus. *Petite, & accipietis.* Joan: 16. 4. Animi demissio, *DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Jacob: 4. Hinc absit ut affectet magnis & doctis prædicare ubi plerumq; vana gloria latet. Non contristetur aut à fervore remittat, si advertat conciones suas populo minùs acceptas,

aut

aut paucos habere Auditores vel humiles, cùm DEUM ſemper pro ſpectatore & remuneratore habeat, undè benè S. Chriſoſt: Hom: 1. de Lazaro: *Concionator debet imitari fontes, qui ſemper emanant aquas, etiamſi nemo ſit, qui eas hauriat, ſic enim oportet illum qui concionatur, quàmvis nullus auſcultet doctrinam ſuam effundere.* 5. Zelus idq; diſcretus, idq; Domus DEI, non ſui, ne pro ſe zelet, aut proprias injurias ulciſcatur per invectivas & allegoricas applicationes, nam per hoc diminuit Authoritatem doctrinæ, atq; ſuam Concionator. 6. Prudentia, ut per eam ſciat quid, ubi, quibus, dicendum, & qualiter. Et hæc de Rhetorica ſpirituali jam ſufficiant, modò ad ea quæ maturiorem & perfectiorem ſcientiam attingunt & quæ proximè Concionatoribus inſerviunt accedamus, proindè ſit.



INSTRUCTIO IV.

De Compendiosa S.æ Scripturæ notitia.

QUam necessaria Clericis est S. Scripturæ notitia ex fine & obligationibus sui status, id deberent intelligere. Ipsorum obligatio est ex suggestu prædicare, in Confessionalibus docere, mederi, judicare: in conversatione Pastorali exemplis suis populum ædificare', undè ergò scientiam docendi, arguendi, iudicandi, medendi & cum variis personis competenter conversandi majorem comparare poterunt, quàm ex fontibus Scripturæ Sacræ? de ea inquit S. Paulus 2. ad Timotheum 3. *Omnis Scriptura Divinitùs inspirata. ad arguendum, ad corripiendum, & erudiendum in justitia.* Hinc ipsemet Christus monebat Joan: 5. *Scrutamini Scripturas & illæ sunt quæ testimonium perhibent de me.* O quàm multos ex Clero confundunt hujus ævi Hæretici,

tici, qui à 1ma juventute S. Scripturæ dediti, noverunt eam ex capitibus & vix non ex verſibus & verbis, & hoc ad confirmandos errores ſuos, cùm illi ſcire deberent ad refutandas Hæreticorum falſitates, ac probandas fidei noſtræ veritates: proindè conari debent ut ſæpè biblia ſacra volvant & revolvant, ad quotidianam lectionem aſſumant, ut autem modum tractandi habeant eorumdem ſacros codices, præſenti inſtructione clavis quidam ſeu lumen ſubminiſtratur.

Porrò *Sacra Scriptura* ita dicitur, quòd divinitùs à S. Spiritu inſpirata ſit. Vocatur *Teſtamentum* quia DEI voluntatem teſtatur, vel quia continet promiſſam hæreditatem, quam DEUS promiſit obſervanti legem. Vocatur etiam S. Scriptura: *Biblia Sacra* (quæ vox intelligenda in plurali) quòd græcè cujusvis generis libros ſignificet, ſunt enim ibi & hiſtoriæ, & leges & dogmata fidei. Undè Scriptura Sacra alia eſt *Legalis* quæ tradit legem, ut ſunt 5. libri Moyſis; alia *Hiſtorialis* quæ ſacras hiſtorias refert; alia

Sapientialis in qua vera prudentia & ſapientia exponitur; alia *Prophætica* quæ futurorum vaticinia enuntiat. Scriptura Sacra alia eſt *Veteris teſtamenti*, quæ continet libros antè adventum Chriſti ſcriptos. Ex hac citando textum dicentis DEI, dicere: *Chriſtus dicit ita* eſt error & ignorantia craſſa nam tunc locutus eſt DEUS tantùm in Prophætis noviſſimè autem in Filio ſcilicet in *novo teſtamento* cujus libri ſunt ſcripti niſi poſt adventum Chriſti imò poſt mortem & Reſurrectionem ejus, ſi ergo citatur aliquod dictum aut factum Chriſti ex novo teſt: poteſt dici: *Ita Chriſtus docuit vel dixit, ita fecit.*

Inſtructio præſens 3bus conſtabit Paragraphis. 1*mus* tractabit de libris Sacræ Scripturæ, *alter* de illorum Authoribus, ſecundariis, (nam 1marius eſt ipſe DEUS) 3*tius* de ſenſibus Sacræ Scripturæ, & nonnullis regulis inſervientibus ad intelligentiam ſcripturarum.

§ I.

§ I.

De Libris Sæ Scripturæ.

Libri Sacræ Scripturæ illi tantùm ſunt, quos Eccleſia pro talibus ſuſcepit ut autem hoc ſcias, ſubjicio.

Decretum S. Concilii Tridentini de Libris Sacræ Scripturæ Seſſ: 4. in quo Cathalogus Librorum SS. annectitur.

Sacroſancta œcumenica & generalis Tridentina Synodus in Spiritu S. legitimè congregata, præſidentibus in ea, eiſdem tribus Apoſtolicæ Sedis Legatis hoc ſibi perpetuo antè oculos proponens, ut ſublatis erroribus, puritas ipſa Evangelii in Eccleſia conſervetur: quod promiſſum antè per Prophætas in Scripturis Sacris: Dominus noſter JESUS Chriſtus, DEI Filius propriô ore primùm promulgavit: Deindè per ſuos Apoſtolos tanquàm fontem omnis & ſalutaris veritatis & morum diſciplinæ omni creaturæ prædicari juſſit; perſpiciensq; hanc veritatem & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine

scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, ut ab ipsis Apostolis, Spiritu S. dictante, quasi per manus traditæ ad nos usq; pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta omnes libros tam veteris quam novi testamenti, cum utriusq; unus DEUS sit Author, nec non traditiones ipsas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquàm vel oretenùs à Christo vel à Spiritu S. dictatas & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit & veneratur. *Sacrorum vero librorum indicem huic Decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, qui nam sint qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infra scripti:* Testamenti Veteris: Quinq; Moysi, idest: Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri; Deutoronomium. Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus & secundus, qui dicitur Nehemias. Tobias, Judith, Hester, Job, Psalterium Davidicum 150. Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes,

Canti-

Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus. Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel. 12, Prophætæ minores: ideſt: Oſea, Jöël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias. Duo Machabæorum primus & ſecundus. Teſtamenti novi: 4. Evangelia: Secundùm Mathæum, Marcum, Lucam, & Joannem. Actus Apoſtolorum à Luca Evangeliſta conſcripti: 14. Epiſtolæ Pauli Apoſtoli: ad Romanos 2. ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippẽſes, ad Coloſſenſes, ad Theſſalonicenſes 2, ad Timotheum 2, ad Titum, ad Philæmonem, ad Hæbræos. Petri Apoſtoli 2, Joannis Apoſtoli 3, Jacobi Apoſtoli 1. Judæ Apoſtoli 1. & Apocalipſis Joannis Apoſtoli. *Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata editione habentur pro Sacris & Canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas ſciens, & prudens contempſerit, anathema ſit.* Hucusq; Decretũ ex cujus conſideratione. *Nota*

Nota 1. Libri Sæ Scripturæ alii sunt *Canonici* & dicuntur illi, qui sunt recepti in Canonem Sacrorum Librorum ab Ecclesia, prout in hoc Decreto vides. *Canon* autem est Cathalogus librorum legitimô Ecclesiæ consensu approbatus. Et alii sunt *Apocryphi* qui omnino rejiciuntur ut falsi, quales fuerunt *Evangelia Nicodemi, & Jacobi, Periodus Pauli & Theclæ &c.* Vel qui non sunt admissi tanquam Authoritatem haberent Divinam, & à Spiritu S. dictarentur, non tamen positivé reijciuntur ab Ecclesia: Tales sunt Oratio Manasse, Psalmi 151. Appendix libri Job: liber Hermetis, (qui intitulatur *Pastor*) liber 3. & 4. Esdræ; Item liber 3. & 4. Machabæorum; qui sæpè in fine Bibliorum apponuntur. Dicuntur *Apocryphi* i. e. occulti & absconditi, quod non producantur nec legantur ab Ecclesia. Olim insuper distinctio erat librorum in *Proto-Canonicos* de quorum Authoritate nemo dubitabat: & *Deutero-Canonicos* de quibus aliquando controvertebatur ut E-

ſter Tobiæ &c. Et hi à Sectariis non recepti. Sed hodiè poſt definitionem Eccleſiæ, quam habes ſuperiùs in Decreto, omnes ibidem enumerati habent infallibilem Authoritatem, & ceſſat omnis dubitatio.

Nota 2. In Decreto dicitur Ly *Prophætæ Minores* quia ibi anterius numerati 4. Prophætæ vocantur *Majores*, poſteriùs numerati vocantur *Minores*, quòd minores libros ſcripſerint, illi autem quôd habeant ſe ad inſtar 4. Evangeliſtarum. Hieremias ponitur ibi ſimul cū Baruch, quia hic Hieremiæ Scriba fuit. Hi omnes Prophætæ Judæis erant pro Teologis & Concionatoribus, quibus deficientibus exorti ſunt Aſſidæi & eſſeni. His tandem ſucceſſit Prophætarum omnium Rex & Caput Chriſtus JESUS, omniſcius cordium ſcrutator & rerum, ſub quo incepit novum teſtamentum.

Nota 3. Dicunt S. Concilii Patres: quòd indicem librorum illorum *ab ipſis Apoſtolis dictante S. Spiritu quaſi per ma-*

num, per traditionem continuam susceperint Patrum Veterum exempla secuti &c. Quia hunc cathalogum librorum Canonicorum, Patres Concilii Tridentini à Concilio Florentino acceperunt; Florentinum, à Romano sub Gelasio I. Gelasius ab Augustino, Augustinus à Concilio Carthaginensi 3. Patres Concilii Carthaginensis ab Innocentio 1. qui vixit sub annum 402, & hunc Cathalogum, quem â temporibus Apostolorum per continuam traditionem accepit clarè & explicite decl ravit, eò quod traditio Apostolica ob ingentes persecutiones, non in omnibus locis sat cognita fuisset: quod inde etiã colligitur, quòd de quibusdam ex præ expressis libris aliqui Patrũ dubitaverint, donec notitia declarationis ab Innocẽtio factæ ad ipsos pervenerit: Vide Becanũ, & cæteros Cõtroversi: cũ Bel.

Nota 4. Concilium Tridentinum per illud Decretum Anathematizat illos, qui recensitos libros in Decreto pro Canonicis non haberet, nam tunc incepe- runt Lutherus & Calvinus rejicere, prout

prout eorum ſequaces nunc rejiciunt libros: *Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum, Baruch; additamenta ad Eſther, & Danielem.* Ex novo: *Epiſtolam S. Pauli ad Hebræos, Epiſtolam S. Jacobi, Epiſtolam S. Judæ, & S. Joannis Apocal.* Hanc temeritatem Theologi Polemici impugnent, interrogando quâ Authoritate rem tantam aggreſſi ſunt contra Univerſalis Eccleſiæ antiquiſſimam traditionem, ſine qua traditione neq; ipſa Scriptura probari poteſt, cùm non ſit evidens an aliqua ſit & quænam illa? *Objiciunt* Sectarii: Libri quos rejicimus non ſunt in Canone Judæorum; qui extat apud Hieronymum, *E* debent etiam excludi â noſtro Canone. ℞. Tranſeat antecedens: Nàm Eſther eſt in Canone, qui extat apud Hieronymum: Nego conſequentiam: Potiùs cum Chriſtiana Eccleſia, quàm Judaica ſentiendum eſt, quæ hos tanquàm Canonicos recipit. Deindè Sectarii ita ſemper ſolent, ut de Manichæis ſcripſit Auguſtinus: *Scripturas ſic accipiunt, ut ſuo quidem privilegio,*

imò sacrilegio, quòd volunt, sumant, quod nolunt rejiciant. Vide Bellarminum Tomo I. Controversia LI. de Verbo DEI,

Nota 5. Concilium ita *Traditiones* suscipi vult ab omnibus, sicut libros Sæ Scripturæ, quos in indice recensuit; & nisi suscipiant Anathematisat rejicientes: quia tunc Sectarii contra traditiones Ecclesiæ insurrexerunt, prout & nunc eas rejiciunt: Patres ergo illi argumentum fortè contra ipsos in suo Decreto apposuerunt: quod & ipsamet Sa Scriptura non potest dici talis sine traditione, quis enim te docet hos libros esse Sacros, à DEO dictatos, & Canonicos si id per traditionem tibi non constaret. Ad alia argumenta recurre ad Controversias Bellarmini, Becani & aliorum. Ex rejectione Traditionum à Sectariis, promanat id, quôd etiam rejiciant: plurimas benedictiones, uti aquæ, salis, comestibilium; ritus Sacramentorum, ceræmonias Liturgiarum seu Missarum, nam hæc omnia in Traditionibus fundantur. Plura ex lectione Controversistarum cognosces, *Nota*

Nota ultimo Concilium libros S. Scripturæ *veteri vulgata latina editione* editos pro Canonicis haberi ſub Anathemate decrevit, quia olim libros Sæ Scripturæ ſcriptos lingvis variis ut plurimum S. Hieron: vertit in latinos, illa ergo verſis ab antiquo dicitur vulgata: quia divulgata eſt ubiq;. Undè occaſionaliter.

Sciendum eſt 1. S.Scriptura tribus præcipue linguis ſcripta fuit.*Hæbraica Græca & Latina* quæ etiam propterea vocantur lingvæ ſacræ.

Hæbraica primitus ſcripti ſunt libri pleriq; Veteris teſtamenti exceptis: *Tobiæ, & Judith,* qui Chaldaicè item, *Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Baruch, & 2. Machabæorum,* qui Græce; libris *Eſdræ & Danielis* quorum quædam partes ſermone Chaldaico ſunt annexæ. ita Menoch. Alii dicunt libros Machabæorum *Syriacè* conſcriptos fuiſſe, Novi teſtamenti libri ſcripti ſunt *lingvâ Græcâ* præter *Evang: S. Mathæi, & Epiſtolam ad Heb: a* quæ probabiliter *Syriacè* conſcripta erant. & præter *Evang: S. Marci* quod

quia

quia fuit Romæ editum, probabilius fuit latînè cum *Epist: ad Rom:* conscriptum.

Sciendum 2. Primitivâ lingvâ, quæ nata est cum mundo, fuit *Hæbraica.* Tempore ædificationis turris Babylonicæ cæpit confusio lingvarum uti est Gen: II. Hebraicâ utebantur Judæi ad captivitatem usq; Babylonicam, in qua cæperunt loqui Chaldaicè, non quidem perfectè, sed mixtim Chaldaicè & Hebraicè: Hinc orta est tertia lingva *Syriaca* quâ post captivitatem Babylonicam, in quâ fuerunt Judæi, loquebantur ad Adventum usq; Christi & deinceps. Scripturæ ergo Sacræ authographa seu Originalia nulla sunt, sed tantùm illorum versiones in lingvas alias. hinc

Sciendum 3. Versiones Sæ Scripturæ sunt 4. 1. *Hebraica.* 2. *Græca.* 3. *Latina*· 4. *Vernacula. Hebraica* est vel per incuriam describentium, ob similitudinẽ litterarum Hebraicarum, additionem punctorum &c. vel per Judæorum malitiam mendis plena.

Ex Græcis verſionibus Vet: Teſt: prima fuit eaq; celeberrima 72. *interpretum* quæ non ſine miraculo, 280. circiter annis ante Chriſtum natum abſoluta eſt: Nam Ptolomæus Philadelphus Rex Ægipti ab Eleazaro Pontifice Judæorum, 72. Viros, nimirûm ex qualibet tribu 6. (12. autem erant tribus) Viros impetraverat, quando Alexandriæ abundantem juxta Joſephum & Euſebium 500000. juxta Epiphanium 54800, Librorum erexit Bibliotecam. Horum interpretum quilibet in loco ſeparato collocatus, 72. diebus, totius veteris teſtamenti interpretationem & verſionem in *Græcam* perfecerunt, (Ptolomæus enim tunc erat ex Græco Imperio) & quamvis ſinguli fuerint in diſtinctis cellis, non tantum in ſenſu convenerunt, (ut ajunt) ſed etiam & in verbis. Sic ſentiunt pleriq; SS. Patres: Iræneus, Cyrillus, Epiphanius, Auguſtinus & S. Juſtinus Martyr. De hoc vide Bellarminum ſuperiùs citatum Cap: 6. Hæc Verſio 72. *Interpretum* quæ olim fuit Authentica,

hodiè à mendis non est pura, vel ob infirmitatem describentium, vel malitiam Hæreticorum qui ab initio in Ecclesia fuerunt, & Judæorum. Ita loco Citato dicit Bellarm. Post Versionem 72. Interpretum, celebrior est Versio *Aquilæ*, *Teodotionis*, *Symmachi*, *Origenis* & *S. Luciani Martyris* de quibus Bellarm.

Ex Versionibus *Latinis* eminet *vulgata* sic vocata, ut dixi, quia divulgata est ubiq; quam S. Augustinus Italam, S. Gregorius Veterem dixit, Hæc ut supra dixi tribuitur *S. Hieronymo* quòad Vetus præcipuè testamentum; quôad novũ autem, est antiquioris, emendata tamen ab Hieronymo. Hujus Versionis quanta est Authoritas, tradit Concilium Tridentinum Sess: 4. in Decreto suo sic loquens: *Ut pro Authentica habeatur & ut eam nemo quovis prætextu rejicere audeat vel præsumat.* Hæc sola Versio ab omni substantiali errore immunis est. Quæ autem contra illam objiciunt Sectarii videri possunt soluta apud eundem Bellarminum. l. c.

Ver-

Vernacula Verſio, Illa eſt per quam lingvà patriâ cujusq; S. Scriptura verſa eſt, ita Germanis Germanicè, Gallis Gallicê, Polonis Polonicè, &c. Harum nulla eſt authentica, quia nulla ut talis ab Eccleſia fuit declarata. Cujus tanta in hac re eſt Authoritas i. e. Eccleſiæ, ut merito dixerit S. Auguſtinus: *Evangelio non crederem niſi me Eccleſiæ commoveret authoritas.*

§ II.

De Anthoribus 2dariis Librorum ſcript. & quæ in ſiugulis continentur materiæ?

Juxta diſtinctionem librorum S. ſcripturæ jam *Legalis*, jam *hiſtorialis*, jam *ſapientialis*, jam *Prophætalis*, jam *doctrinalis* ut præcipue eſt novi teſtamenti ſcriptura, Authores quoq; illorum ſecundarios, per Q indagabimus. quare

Q. I. Quis eſt Author Librorum Legalium S. Scripturæ.

R. 5. Librorum Moyſis Author eſt ipſe Moyſes qui 1mus ſcriptor erat S. ſcript. ultimò capite Deuteromii excepto, in quo Moyſis mors & laus, popu-

li verò luctus describitur: quod caput probabiliùs Author sequentis libri ideſt Joſue v. Eſdras, vel alius ex Prophætis ſcripſit.

Porro. I. Liber Moyſis eſt *Geneſis*, ſic dictus, quia narrat generationem & creationem mundi. Denominant enim Græci & latini libros ſuos à materiâ, quam tractant, ſicut Hebræi; à primis verbis librorum, à quibus incipiunt. In *Geneſi* deſcribitur creatio cœli & terræ, ac aliarum rerum: præſertim hominis, mox ejus lapſus, dein propagatio hominum, diluvium, ædificatio turris, confuſio linguarum, diviſio terræ, geſta Patriarcharum, ſignanter Nöé, Abrahæ, Iſaac, Jacob, & Joſeph. Complectitur ergò Geneſis juxtà Tirinum annos 2399. quot fluxerunt à creato mundo uſq; ad mortem Joſephi. Hic liber habet in ſe capita 50. II. Liber Moyſis eſt *Exodus* qui ſic vocatur, quia exitum Iſràëlitarum ex Egipto narrat, recenſet ſervitutem Ægiptiacam, 10. plagas Pharàónis, ac tandem egreſſum populi cum Moyſe ex

Ægi-

Ægipto per mare rubrum versùs terram promissam Chanaan, Manna in desertò, copiam aquarum, cædem Amalech, legem datam in monte Sinai, adorationem vituli, confractionem tabularum legis seu Decalogi, & idololatrarum trucidationem, fabricationem Tabernaculi, & deniq; variam ejus supellectilem e. g. vestes Aaron. In hoc libro elucet divina providentia, tùm in exercendo, tuendo, erudiendoq; populo suo, tùm in hostibus ejus domandis & debellandis, ex quibus cognoscant qui dicunt, quod *non est providentia.* Complectitur gesta Annorum 145. Hic liber constat Capitibus 40. III. Liber Moysis est *Leviticus* sic dictus à Levitis, quòd Levitarum & Sacerdotum tractet institutiones, ministeria, ritus, ceremonias, qualitates & varietates sacrificiorum usq; ad Caput 8vum. Item eorum consecrationes & Officia usq; ad caput 23. Exindè tractat de tempore sacrificiorum puta de festis diebus. Ex hoc librô cognoscant sectarii & politici moderni dignitatem

Ceremoniarum, quod scilicet Deus non tantùm interno, sed simul externo cultu velit coli: quod reducitur ad illud: *diliges Deum ex toto corde, ex tota mente, ex omnibus viribus.* Sacrificia de quibus ibi, intellige præfigurasse sacrificium in Cruce cruentum, & sacrificium Missæ incruentum. Hic liber continet capita 27. IV. Liber Moysis *Numeri* à numeratione populi sic dictus, & quia multæ numerationes in eo continentur. Agitur ibi de Prophætia Balaam & 42. mansionibus in eremo. Item de bello Hebræorum cum Madianitis. Continet historiam & gesta Moysis atq; Hebræorum usq; ad finem penè peregrinationis 40. annorum in desertô. Constat: cap: 36. V. Liber Moysis *Deuteronomium* Græcè, Latine autem *secunda lex* quia in illo fit repetitio legis ac inculcatio à Moyse facta, aliquibus legibus additis, aliquibus explicatis. Constat capitibus 34.

Nota Hi libri vocantur *Libri legales* seu scriptura legalis, quia tractant le-

ges & tradunt legem ad politicam & Spiritualem gubernationem in servientes.

Q. 2. Qui sunt Authores Scripturæ historialis, & quam quælibet tractat materiam?

℟. 1. Librum *Josue* quidam tribuunt Isaiæ vel Esdræ, alii Samueli, alii Eleazaro filio Aaronis, alii quod probabilius, Josue, qui vocatur JESU, filius Nun, à quo tamen non est descripta ejus mors & alia quæ post illam contigerunt uti sunt quæ cap. 15. de Axa filia Caleb, & quæ de filiis Dan narrantur. Describit gesta ipius per 17. annos, transitum Jordanis, eversionem regnorum hostilium, introductionem populi in terram promissam Chanaan, ejusq; divisionem, ubi quævis ex 12. tribubus accepit partem, excepta tribu *Levi* cujus ipse *Deus pars esse voluit*, exterminationem populi gentilis, ex quo remanserunt quidem aliqui, ad exercendum populum, si legem desereret, affligendum. Habet capita 24.

2. Liber *Judicum:* probabiliûs, quod con-

conscriptus est à Samuele ex antiquis Judicum diariis. Tractat varia Ducum seu Judicum gesta, qui Principes & Judices populi Israëlitici fuerunt post mortem Josue: & qui à Jugo vicinarum gentium eundem populum liberabant, quando conversus ad DEUM clamabat. Judices erant 17. quorum Magistratus durabat annis 356. incipiendo à *Moyse*, post quem, *Josue*, *Othoniel*, *Aod*, *Samgar*, *Debbora*, *cum Barac*, *Gedeon seu Jerobaal*, *Abimelech*, *Thola*, *Jair*, *Jephte*, *Abesan*, *Aialon*, *Abdon*, *Samson*, *Heli*, *usq; ad ultimum Samuelem*, qui senio confectus filios suos *Joelem & Abiam* posuit Judices: sed Israelitæ eosdem propter avaritiam & injustitiam rejecerunt & sibi Regem dari popoſcerunt. Electus Judex per totam vitam manebat, sententias ferebat: In causis difficillimis sententiam supremi concilii exquirebat, quod *Sanedrim* dicebatur, ejusq; decretis stare debebat. Hic liber habet in se capita 21.

3. Liber *Ruth* habet in se historiam fæminæ alienigenæ Moabitidis *Ruth*

quæ

quæ ob ſuam virtutem meruit copulari *Booz* Atavo Davidis de tribu Juda, ſicq; inter Chriſti progenitores recenſeri. *Math: cap: 1. v. 5.* Scriptus eſt hic liber probabilius à Samuele præ expreſſo, quod ille vellet poſteris conſtare de Davidis à ſe in Regem uncti proſapiâ, ſimulq; Chriſti ex Davide orituri; ut eſſet completa genealogia Davidis, eſſetq; quaſi introductio ad libros 4. Regum, quorum Imum etiam probabiliùs conſcripſit idem Samuel. Conſtat capit: 4.

4. Libri *Regum*, qui ſunt 4. ſic dicti quod regum Judæorum & Iſraëlitarum tradant hiſtorias à Imo *Saule, poſtquem David, Salomon Davidis filius, Roboam* (Hic Iſraelis 10. tribus receſſerunt à Juda, & alios Reges habuerunt diſtinctos ab his) *Abias, Aſa, Joſaphat, Joram, Ochozias, Joas, Amaſias, Azarias, Joatham, Achaz, Ezechias, Manaſſes, Amon, Joſias, Joachaz, Eliakim, Joachin,* uſq; ad ultimum *Sedeccam* ex Regibus Juda, qui deſiit eſſe Rex in captivitate Babylonica; & cum ipſo nomen Regium magno Pro-

phæ-

phætæ Jesu Christo nascituro de tribu Juda reservatum. Distincti autem Reges Israelitarum erant hi: *Jeroboam, Nadab, Baasa, Ela, Zambri, Amri, Achab, Ochozias, Joram, Jehu, Joachaz, Joas, Jeroboam 2dus, Zacharias, Sellum, Manahen, Phaceia, Phacee, Osee*, qui ab Assyriis est captus & regnum Israel extinctum est.

Libri Imi Regum probabilius Authorem esse Samuelem, quem scripsit usq; ad mortem suam, ipsius autem mortem & gesta post ipsum usq; ad finem libri 2di scripserunt *Nathan* & *Gad* Prophætæ. Duos reliquos libros, ex priscis Regum singulorum annalibus partim Isaias, partim Jeremias, partim Esdras conscripserunt. Synopsis horum 4. librorum hæc est: I. exponit Saulis electionem, regimen, gesta, mores habetq; capita 31. II. agit de regimine Davidis habet capita 24. III. Describit Davidis mortem, gesta Salomonis, & Roboam, aliorumq; Regum Judæ & Israel; præcipuè divulsionem

nem 10. tribuum, & dissidia bellaq; interse: habet capita 22. IV. exponit casum regni Juda & Israel, ob regum peccata, captivitatem populi; urbis & templi subversionem: habet in se capita 25.

5. Libri 2. *Paralipomenon* seu prætermissorum, quod in illis supplentur multa, quæ in libris Regum prætermissa sunt vel non nisi leviter tacta, aut non satis explicata: nam ut plurimum in libris Regum, aliqua de Regibus *Juda* sunt omissa, & gesta Regum *Israel* vix tanguntur. Videntur esse compendium eorundem librorum, qui subinde in iisdem citantur: *verborum, dierum Regum Juda*, vel *Israel.* Incipiunt illi de genealogia totius generis humani ab Adam usq; ad solutionem captivitatis Babylonicæ. I. Genealogiam Davidis ejusdemq; electionem, regimen, gestaq; recapitulat, habetq; capita in se 29. II. Regimen Salomonis, aliorumq; Regum Juda & Israel, describit, & continet capita 36.

6. Libri duo *Esdræ* (erant libri 4. sed duo tantum sunt Canonici) 1mi Author est Esdras; 2di Nehemias licet, tamen & hic 2dus dicitur *Esdræ:* partim, quòd continet ea, quæ simul ab Esdra & Nehemia gesta sunt, partim, quia uterq; liber olim unus erat. *Esdras* hic fuit filius Saraiæ summi Pontificis à Nabuchonodozore decollati 4. *Regum ultimo v.* 21. frater Josedeci, cum quó in Babilonem captivatus est: Tum insuper fuit Sacerdos, Prophæta, Scriba, Doctor: & totius scripturæ vitiatæ ob captivitatem Babylonicam, corrector; imò juxta multos AA. deperditæ ex memoria dictator. *Nehemias* verò fuit Sacerdos 2. *Mach:* 1. *v.* 21. ac Artaxersis Persarum Regis pincerna 2. *Esdræ* 1. *v. ult:* Liber Esdræ continet ea, quæ circa prædictam populi liberationem evenêre, ab anno primo Monarchiæ Cyri usq; ad annum 7. Artaxerxis Regis, quô Esdras è Babylone cum aliis Sacerdotibus & Levitis rediit in Jerusalem, quam, unà cum Templo cæpit cum Judæis restaurare: sed præ-

pedi-

pediti adversariorum calumniis coacti sunt cessare. Liber vero *Nehemiæ* continet ædificationem urbis Jerusalem, aliaq; ab anno 7. usq; ad ann: 22. ejusdem Artaxerxis. Liber autem: 3. & 4. licet non sint Canonici, non tamen contemnendi. Liber I. Esdræ habet capita 10. 2dus habet capita 13.

7. Liber *Tobiæ* à Seniore fuit scriptus usq; ad caput 14. idq; Chaldaicè; in reliquo à Juniore similiter: finem libri alius quispiam incertus supplevit, probabilius Esdras. Gesta Patris ejusq; filii enarrat, & in adversitatibus DEUM, amantibus ac se colentibus adesse docet. Contigit hæc historia sub Ezechia & Manasse regibus. Continet capita 14.

8. Libri *Judith* Author Joachim vel Eliakim summus Sacerdos qui fuit Judithæ Director. Agit de victoria Judith, ex Holoferne Assyriorum Duce, reportatam & enarrationem suæ gentis facit. Habet capita 16.

9. Librum *Esther* patruus ejus descripsit Mardochæus, ut constat ex cap:

9. v. 20. Conservationem gentis Judaicæ sub Dominatu Persarum pro tunc existentis, contra perversa Amani molimina, enarrat. habet capita 16.

10. Liber *Job* ab eodem Arabicè descriptus, quem Moyses in Hebraicum transtulit, ut populus in Servitute Ægiptiaca existens patientiam disceret. Vixit ille in gentilitate licet, fidelis tamen & Deum timens circa annum mundi 2230. vel aliquanto post, eo tempore quo Israelitæ fuerunt in Ægipto, aut agentibus in Deserto Judæis: ita Tirinus.

Argumentum libri est exemplum insignis patientiæ, & providentiæ Divinæ circa ipsum & reliquos justos, quos Deus tentari permittit ut probet & coronet. Narrat item disputationem Jobi cum amicis de D. Providentia & resurrectione Corp:

11. Libri 2. Machabæorum (olim erant 4. Imus & 4. tanquam Apocryphi ab Ecclesia sunt rejecti; 2. & 3ti 9, qui nunc Imus & 2dus dicuntur, recepti) nomen

habent à præcipuo Religionis vindice, Sacrorumq; bellorum Duce Juda, qui Imus dictus est Machabæus à robore, quo præditus fuit, & quod in hostes exercuit quos prostravit. Illorum conscriptio summis Sacerdotibus & Principibus ejus temporis: nimirum, Joanni Hircano Filio Simonis, fratris Judæ Machabæi, & Judæ Essenotribuitur. Imus habet capita 16. 2dus habet 15. Reliqui duo licet nonsint Canonici, majorem tamen Authoritatem habent, quàm Livius & Curtius.

Q. 3. Qui sunt Authores Librorum Sapientialium & quæ eorum materia de qua tractant?

℟. I. *Proverbiorum* Author à S. Hier: in Præfat: dicitur Salomon. Nec obstat quod ibidem *cap: 30.* dicitur *Verba congregantis filii vomentis* & 31. dicitur: *Verba Lamuelis Regis*: namhæ Personæ à Salomone non sunt diversæ, sed figuratæ, illum significantes. Ibi doctrina est pro incipientibus servire Deo, de moribus, de virtutibus. Sunt ibi capita 31.

2.

2. Liber *Ecclesiastes* idest Concionator, scriptus est à Salomone: post conversionem: tractat de mundi vanitate, vitiorum contemptu, & profectu in via Dei: habet capita 12. quando textus aliquis citatur ex hoc libro notatur sic: *Eccl: vg cap: 1.*

3. *Canticum Canticorum* Salomonis acsi ex omnibus Canticis præcipuum, plenum mysteriis est, in quo Christi cum Ecclesia nexus & amor, viri justi perfectio, animæ Sanctæ contemplatio figuratur. Ordo notabilis est inter hos 3. libros Salomonis: *Proverbia* respiciunt *viam purgativam* & serviunt incipientibus vitam spiritualem, dehortantur enim à peccatis: *Ecclesiastes* refertur ad *viam illuminativam* allicit enim ad contemptum mundi & virtutes sectandas: *Cantica* ad perfectos anhelantes ad unionem cum Deo proinde *ad viam unitivam* referuntur. habent capita 8.

4. Liber *Sapientiæ*, à quo Authore conscriptus sit controvertitur: Tirinus cum aliis Salomonem ejus esse Autho-

rem

rem dicit, & probabilius, quod & hic liber, & Ecclesiasticus ex Salomonis dictis atq; scriptis fuerit collectus. Hic liber *Sapientiæ* usq; ad cap: 7. exhortatur ad zelum amoremq; Sapientiæ. Postea ad cap: 10. explicat originem Sapientiæ, ejusq; fructus & effectus. Explicat regimen Prælatorum, conservationem Justitiæ, idolorum contemptum, adventum Christi & passionem ejus, qui vera est Sapientia. Præterea prædicat opera Dei magnifica facta in Ægipto. habet cap: 19.

5. Liber *Ecclesiasticus* probabilissime, quod conscriptus est à Jesu filio Sirach, qui fuit civis Hierosolimitanus, vir sapiens, & vixit tempore 72. Interpretum; ad discrimen *Ecclesiastæ* hic vocatur *Ecclesiasticus*, & quoties citatur textus ex hoc loco; sic notatur *Eccli: vg cap: 2.* Brevibus Sententiis hic liber docet omnem moralem Philosophiam uberiùs, quam liber *Proverb:* Salomonis. Agit de obedientia subditorum, instructione bonorum morum, laude Sanctorum, & improperio malorum. Instruit æconomos quo ad familiam, politi-

cos quoad republicam gubernandam. Habet capita 51.

Q. 4. Qui Authores sunt Scripturæ Prophætalis V. T. & quæ materia tractatur in singulis libris?

R̸. 1. Psalterium seu librum 150. Psalmorum, alii Davidi totum attribuunt cum Augustino; alii, alios Psalmos iis Authoribus ad scribunt, qui in titulis Psalmorum prænotantur in Bibliis, scilicet: Davidi, Moysi, Salomoni, Asaph, Idithum, & aliis. Collector eorum fuisse primus putatur Ezechias Rex qui 72. priores collegisse dicitur, in unum verò corpus Esdras eos redegisse putatur. Liber Psalmorum continet prophætias de Christi Deitate, humanitate, Passione, resurrectione, ascensione, Judicio, Ecclesia. &c.

R̸. 2. Reliqui libri Prophætales quos habeant authores ex ipsis titulis agnoscitur; nunc quam materiam tractant explicatur.

Isaias reprehendit Judæos; de adventu Xti, ejus passione & gentium vocatione prophætat, & quia apposite de Xto nunti-

at,

at, vocatur Prophæta Evangelicus. habet capita 66.

Jeremias agit de captivitate Judæorum, destructione Jerusalem, quam tristib9 etiam lamentationibus, quæ *Threni* vocantur deplorat. An præfatio in Threnos sit Canonica controvertitur inter Catholicos, vide Cornel à Lap: Cum igitur de hoc non satis constet, pro canonica suscipi haud debet. habet cum Trenis cap: 57.

Baruch appendicem Jeremiæ attexit: prænuntiat reditum populi, & futura temporibus ultimis. habet cap: 6.

Ezechiel Visiones, ruinam Jerosolimæ, ac reparationem, Judæorum scelera proponit, ita ut figura cum figurato sæpe sit commixta: undè de restitutione corporali Judæorum quoadusq; textus historiæ patitur interpretationem recipit: ubi verò non patitur, de Ecclesia seu regno Spirituali intelligendus est. Habet capita 48.

Daniel defunctis in captivitate Babylonica Jeremiâ & Ezechiâ prophæticas suas visiones & interpretationes enarrat, per modum historiæ, non concionatoriè ut alii

Prophætæ: undè ejus Prophætia rerum historia videtur esse. De Christo, & tempore ejus adventûs atq; morte, Judæorum autem ex cæcatione tractat. Item de Antichristo ejusq; præliis. Prædixit progressum 4 regnorum præcipuorum. De bellis futuris inter Græcos & Persas atq;successores Alexandri M. prædixit, item historiam habet Susannæ, & destructionem Bel & Draconis. Habet capita 14.

Et hi superiùs enumerati,sunt Prophætæ majores.minores autem qui subsequuntur similiter ut illi, populum Hebræum à vitiis & peccatis revocare conabantur. Varia etiam de Christo prænuntiabant,Ita

Oseas invehitur in idololatriam Israelitarum, provocat ad pænit. Judicium futurum prænuntiat. habet capita 14.

Joel prædicit captivitatem Babylonicam Judæis, per erucam, bruchum, locustam, rubiginem: *Item* adventum Messiæ & Spiritûs S. ac ultimum judicium. Habet cap: 3.

Amos etiam prædicit captivitatem venturam, Dei vindictam, inductionem ad pæniten-

niten-

nitentiam, finalem reparationem. Habet cap: 9.

Abdias comminationem & destructionem Edom & Esau refert: quia tempore Captivitatis Babylonicæ erant futuri socii Chaldæorum contra Israel. habet caput 1.

Jonas naufragium suum describit; Ninive, ac in ea totus mundus ad pænitentiam provocatur. habet cap: 4.

Michæas prædicit captivitatem, interitum Samariæ, Principum Israel, & Pseudo-prophætarum, Item nativitatem Xti, & gentium conversionem. habet cap: 7.

Nahum prædicit exilium regis Assyriorum & vastitatem Ninive per Chaldæos, hos præliaturos contra Jerusalem: sicut prævaluere contra Samariam. habet cap. 3.

Habacuc (non ille qui attulit prandium Danieli) proponit adventum Chaldæorum & Babylonicam Captivitatem, & vastationem eorumdem Chaldæorum per Medos & Persas factam: tandem prædicit adventum Xti, passionem, resurrectionem, secundumq; ejus adventum in gloria. habet cap: 3.

Sophonias prædicit Palæstinorum, Moabitarum, Ammonitarum, Æthiopum, & aliarum gentium ac idololatriæ ruinam. Deniq; Xti resurrectionem, Judæorum excæcationem, & exitum ultimum, tandem Ecclesiæ gloriam & felicitatem. Habet capita 3.

Aggæus prædicit reditum Judæorum, reædificationem urbis & templi multò priore gloriosioris, subintelligit autem Ecclesiam Christi. habet cap! 2.

Zacharias liberationem Judæorum, vindictam contra hostes eorum, humilitatem, adventum Christi & passionem prophætat: sicut etiam per varias similitudines felicitatem Christi, Ecclesiæ & ultimam Judæorum ruinam. Habet cap: 14.

Malachias prænuntiat abjectionem Judæorum, & sacrificiorum, Xti adventum, institutionem novi Sacrificii in toto orbe offerendi, ultimum judicium, & præcedentem conversionem Judæorum per Ecclesiam. Invehitur in negligentiam Sacerdotum ac in alia vitia.

Ordo temporis Prophætarum, quô fuerunt,

erunt, hic á P. Metzger obſervatur ut ſit 1. Oſeas. 2. Joel. 3. Jonas. 4. Amos. 5. Iſaias. 6. Abdias. 7. Michæas, 8. Nahum. 9. Sophonias. 10. Habacuc. 11. Hieremias. 12. Ezechiel. 13. Baruch. 14. Daniel. 15. poſt Captivitatem Aggæus. 16. Zacharias. 17. Malachias.

Q. 5. Quinam AA. N. T. & quæ ejus Synopſis?

℟. Author novi teſtamenti principalis eſt ipſe Xtus, licet hic nullos libros ſcripſerit.

Evangeliorum ſcriptores ſunt 4. qui præfigurati ſunt per 4. animalia Ezech: cap: 1. *Hominis, Leonis, Vituli, Aquilæ*. Licet in unam Evangelicæ veritatis hiſtoriam omnes conveniant, in modo tamen ſcribendi differunt. *Mathæus* Humanitatem, *Marcus* prædicationem, & reſurrectionem; *Lucas* paſſionem, & mortem; *Joannes* Divinitatem Chriſti pro ſcopo habet. Et ideo *Mathæo* tribuitur *homo* quia de Xti generatione incipit. Marco *leo*, quia à voce & prædicatione Joannis in deſerto, qui fuit ad inſtar leonis clamantis, Lucæ *vitulus*, q.

à Sacrificio Zachariæ in quo vituli boves oves offerebantur. Joanni *Aquila* quia se ad supræma elevans ab æterna Christi generatione exorditur: *In principio erat Verbum &c.* Capita in Math: 28. Marco 16. Luca 24. Joan: 21.

Acta Apostolorum S. Lucas, medicus & pictor Antiochenus, inde Discipulus Pauli simulq; Evangelista, conscripsit, qui Xtum non vidit. Scripsit illa Græcè, à Xti resurrectione statum primitivæ Ecclesiæ exprimit: Xti ascensionem, Spiritus S. Missionem, gesta Apostolorum, præcipuæ Petri & Pauli, Ecclesiæ infantiam, sivè ejus fundationem in Judæa, Samaria, propagationemq; usq; ad 2dum annum Neronis, quô Romæ commoratus est, ut patet ex cap: ult: Habet cap: 28.

Quatuor decim Epistolæ S. Pauli. quarum 2plex objectum est doctrina scilicet, & mores Christiani. Ordine temporis non ponuntur quo scriptæ sunt ut patebit: sic

Ad Romanos scripta est Cenchris apud Corinthum anno 58. Xti, in qua Romani revocantur ab erroribus gentium, & Ju-

dæi à ceremoniis Legis ad fidem & charitatem. habet cap: 16.

Ad Corinthios 1ma, ſcripta Epheſi ann: 57. Schiſmata componit & dubia reſolvit, habet capita 16. II. ſcripta Nicopoli in Græcia j. Baronium anno Xti 58. Revocat ſeductos à Pſeudo-Prophætis, reductos ſolatur & laudat. habet cap: 13.

Ad Galatas ſcripta an: 58, Romæ, vel Epheſi, vel Nicopoli. A Pſeudo-Apoſtolis ſeductos ut ad legem & circumciſionem reverterentur, revocat. Habet cap: 6.

Ad Epheſios Scripta eſt an: 59. Romæ. Agit de vocatione Gentium præcipuè Epheſiorum, quos in verbo veritatis ab Apoſtolo accepto conſtantes laudat & mores eorum inſtruit. habet cap: 6.

Ad Philippenſes idem habet argumentum ſcripta anno 60. Romæ. habet cap: 4.

Ad Coloſſenſes ſimiliter Romæ ſcripta anno 60. Hos à Simonis Magi ſequacibus præventos corrigit, adhortans ad fidei veritatem. habet capita 4.

Ad Theſſalonicenſes duæ. I. ſcripta Corinthi anno 52. j: Baronium, laudat eos in-

inter persecutiones civium constantes. habet cap: 5. II. Corinthi anno 54. docet de novissimis temporibus & Antichristo. habet cap: 3.

Ad Timotheum duæ. I. in Macedonia, vel Laodiceæ scripta anno 57. instruit de ordinatione dotibus & officio Episcopi, habet cap: 6. II. Romæ scripta anno 58. vel ut volunt alii paulò ante suum martyrium. Incitat ad Martyrium, informans de Catholica veritate, & novissimis temporibus. habet cap: 4.

Ad Titum scripta est in Græcia an: 58. Instruit de constitutione Presbyterii, conversatione Spirituali, Hæreticis vitandis. habet capita 3.

Ad Philemonem Laudat eum à fide, à charitate in Sanctos, rogatq; ut Onesimo suo servo indulgeat. Scripta Romæ anno 60. habet caput 1.

Ad Hebræos ostendit evacuationem legis Mosaicæ & perfectionem Evangelicæ, & quod Christus verus sit Deus & homo, Dei hominumq; mediator. Scripta Romæ an: 60. habet cap: 13.

Se-

Sequuntur Epiſtolæ *Catholicæ* i.e. *universales* ſic dictæ, quod doctrinam univerſis christianis utilem, & non tantum res ſingulares attingant. Ab aliis ideo Canonicæ dici intelliguntur, quod *canonem* ſeu *regulam* probe vivendi tradant. Sic *Petrus* totus eſt in Sanctitate chriſtiana, *Joannes* in charitate, *Jacobus* in oratione, *Judas* in fide orthodoxa commendandâ. ſic

Jacobi (juxta Breviar: *minoris:*) Epiſtola ſvadet patientiam, ſæviente poſt mortem Stephani perſecutione; Deum non eſſe acceptorem Perſonarum, bonorum operum neceſſitatem, habet cap: 5.

Petri duæ. I. gratias Deo agit ob Salvatorem filium Dei. Hæc ſcripta eſt Romæ anno à morte Xti 13. habet capita 5. II. Inducit ad conſtantiam fidei, deſcribens ſecundum Xti adventum, Scripta eſt ultimis Petri temporibus. habet capita 3.

Joannis tres. In I. teſtatur de verbo veritatis & vitæ, inculcat charitatem Dei & proximi. habet capita 5. in II. Cletum, & filium ejus commendat. habet cap: 1. in III. Cajum extollit monens ut in pietate permaneat. habet caput 1. *Ju-*

Judas Thadæus omnes salutis propriæ admonet, inducit altercationem Michaëlis cum Sathana, detestatur hæreticos, impios, & lascivos, eorum mores describit: Judæos ad Xti fidem conversos corroborat. habet caput 1.

Apocalipsis Joannis Apost: Hâc ille visione sua prophæticâ in Insula Patmos Christum Judicem venturum, Anti-christi adventum, & subsecuturam beatitudinem æternam subduplici typo, fluvii aquæ vivæ, & ligni vitæ, adumbrat. capita 22. habet.

Et hæc est Synopsis utriusq; Testamenti librorum S. Script: cum eorum Authoribus secundariis excommuniore Interpretum sententia adductis; quamvis non sit scrupulosè inquirendum quis sit author determinatè & certè secundarius; cum primarius omnium librorum Author sit Spiritus S. Plùs igitur de verò scripturæ sensu, quàm de secundario Authore alicujus libri intelligendo, laborandum est: sicut qui litteras alicujus Principis accipit, anxius non est quô calamo scriptæ sunt, sed ut men-

mentem ejùs cognoſcat. Priuſquàm autem ad ſenſus S. Scripturæ deſcendamus, præſtat hic parum innuere de Concordiâ ſcripturarum. quare

Concordia veteris Teſtamenti cum Novo hæc eſt

1. *Libri Legales* præfigurabant Chriſtum figuris remotiſſimis. Sic *Geneſis* Chriſtum naſcentem in ligno vitæ plantato in medio paradiſi ideſt verbo Divinæ & humanæ naturæ inſerto in medio Eccleſiæ. Abel morientem in Paſſione: Nòé reſurgentem: pietas Abrahæ colendum. *Exodus* præfigurabat figuris remotioribus: In Moyſe natum occultandum ob Herodem (alterum Pharaonem) revelandum dein ad populi captivi conſolationem, & liberationem à captivitate inferni, mortis, & carnis. Populi liberati inſtructionem per legem ut exercitatus in veteri aſſveſceret novæ. *Leviticus* in variis ſacrificiis Xtum Sacerdotem & hoſtiam, ut unum verum ſacrificium in fine temporum. *Numeri* nexum membrorum Corporis Xti myſtici, & ordinem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, profici-

ficiſcentis in via, & pervenientis in patriam. *Deuteronomium* ſive legis repetio Incarnationem, beneficium beneficiorum.

II. Libri Hiſtoriales. Joſue præmonſtrat Xtum ut Judicem vivorum & mortuorum, qui terram Electorum diſtribuet. *Judicum* ſucceſſio, ut reſurgentem; maximè Samſon exhibet Xtum nocte media liberatis Patribus Portas inferni confringentem; & Gedeonis vellus matrem ejus virginem. *Ruth* alienigenæ, & Booz Iſraelitæ maritatio, conjunctionem Chriſti & Eccleſiæ ex gentibus collectæ. *Regum* libri ut regem regum, cumq; ſit ſimul Sacerdos, deſignatur in I. ut evacuaturus Sacerdotium legale in extinctione Heli, & novum ſubſtiturus in ſubſtitutione Samuelis, qui non fuit de ſtirpe Aaron, translaturus quoq; Regnum Iſraël in reprobatione Saulis & confirmatione David. in II. ut de Semine Davidico naſciturus, in III. ſub figurâ pacifica Salomonis ut eſt pax noſtra, qui fecit utrâq; unum, cujus etiam Corporis myſtici typus fuit templum Salomonis in IV. ut evacuaturus ritus gentilitatis in interi-

tu Pſeudo-Prophætarum, ut ſuſcitaturus mortuos in Elizæo, ut inſtituturus Sacramentum Euchariſtiæ in pane ſubcinericio, ut aſcenſurus in cœlum in Elia translato. *Paralipomenon* I. Confirmat translationem Sacerdotii. II. Regni Eſdras præfigurat Chriſtum ut ardentem zelo reædificandi templi veri, quod ſumus nos. *Tobias* ut exemplar ſummæ modeſtiæ, *Judith* pudicitiæ, *Eſther* clementiæ, *Job* patientiæ *Machabæi* conſtantiæ.

III. *Libri Sapientiales* Chriſtum redolent ut Doctorem univerſalem in *Eccleſiaſtico*, ut ſpecialem ad virtutem in *Proverbiis*, ad contemptum vanitatis *in Eccleſiaſte*, ad guſtum ſvavitatis & exemplum charitatis *in Canticis*, ad veritates ſpeculandas *in Sapientia*.

IV. Libri Prophætales Xtum prænuntiant, & poſtulant. Poſtulat *David*, prænuntiat *Iſaias*, Incarnationem, *Jeremias* paſſionem, *Ezechiel* reſurrectionem, *Daniel* judicium. Duodecim Prophætæ minores Xtum præſagierunt, ſicut Apoſtoli 12. prædicârunt, quo teſtium numerus eſ-

ſet

ſet abundantior. Jam verò in novo teſtamento deſcribunt verbum Incarnatum *in Libris legalibus: Mattæus* humanitatem, *Marcus* Regiam poteſtatem, *Lucas* Sacerdotalem dignitatem, *Joannes* Deitatem. *Hiſtoriales* Corporis ejus myſtici tribulationem ideſt Eccleſiæ militantis fidelium, *Sapientiales* ejuſdem eruditionem, in *Pauli* Epiſtolis, ſpecialem, in reliquis canonicis univerſalem. Prophætalis *Apocalipſis* Judicem & ſempiternum beatificatorem. Hæc pauca ſatis ſint de utriuſq; teſtamenti concordia. Nunc ad finem noſtrum ſeu intelligentiam ſcripturarum accedamus. Quare

Sciendum eſt duplicem eſſe interpretationem ſcripturæ *Metabolicam* ſcilicet, & *Exegeticam. Metabolica* eſt, per quam S. Scriptura ex primogenia lingua in aliam transfertur, quæq; ideo latine *translatio* ſeu communiùs *verſio* apellatur. *Exegetica* eſt per quam ſenſus in S. Scriptura abſconditi eruuntur ideoq; *explanatio* vel *expoſitio* vocatur. Unde jam ſit

§

§ III.

De Senſibus S. Scripturæ & regulis pro investigatione illorum ac S. Scripturæ explicatione.

Antequam ad ſenſus S. Scripturæ accedamus, prænotanda ſunt quædam de lectione S. Scripturæ; proinde.

1. Ante Lectionem S. Scripturæ invocandus eſt Spiritus S. j. Jacobi cap: 1. v.5. *Si quis indiget ſapientiâ, poſtulet à Deo.* 2. Legenda eſt cum conſcientiâ pura: Sap: 1. v. 4. *In malevolam animam non introibit ſapientia.* 3. Cum animo humili & ſimplici: Eccli: 15. v. 7. *Sapientia longè abeſt à ſuperbia.* 4. Nihil in S. Scriptura ſine diſcuſſione prætereundum, ſed ſingula verba ſunt conſideranda. 5. Non in ſuperficie literæ hærendum, ſed reconditi ſenſus indagandi: *ſicut qui ſenſibiles theſauros effodere conantur, non in ſuperficie ſolum fodiunt, ſed in profundum deſcendunt &c, ita & nos ad ima ſcripturarum deſcendentes vim in breviculis verbis latentem in veſtigemus*, inquit S. Chryſoſt: Nec deſiſtendum etſi non ſtatim intelligi poteſt S. Scriptura. 6. In omnibus locis S. Scripturæ ſenſus omnes extor-

quere supervacaneum est. 7. Non licet cuiq; exponere S. Script: id enim munus est magni Doctoris, nempe ejus, qui doctrinam fidei bene callet ex longo studio vel ex dono Dei. Non tamen ulli licet quôvis modô exponere illam. Quô prænotato

Q. Qui sunt sensus Sacræ Scripturæ?

℞. 1. *Literalis* & *Spiritualis. Literalis* (qui & historicus vocatur, qui plerùmq; historias continet) est, quem verba sive in proprio sensu, sive in Metaphorico significant. Proprius verò sensus verborum est, quem verba ex suo immediato proprio significato indicant, ut: *Diliges Dominum Deum tuum.* Metaphoricus seu improprius, est translatio alicujus vocis â propria ad impropriam significationem, propter similitudinem; ut cùm dicitur *Brachium Dei* Psal: 76. v. 16. per quod non membrum Corporis (hôc enim Deus caret) sed virtus operativa figuratè significata. *Spiritualis* sensus scripturæ seu *Mysticus* (ideo sic dictus, quòd aliquod mysterium sub litera sacra latet) qui non ex verbis immediatè, sed ex rebus per verba significatis

tis eruitur;ut Deuteron: 25. v. 4. *Non alligabis os bovi trituranti.* Ubi ſenſus literalis eſt, quem verba ſonant; myſticum autem S. Paulus explicat *l. ad Cor: 9. v. 9.* ſcilicet Doctoribus & Concionatoribus neceſſarium & honeſtum victum ſuppeditandum eſſe.

℟. 2. Ex *Myſtico* ſubdividitur alius 3plex ſenſus: *Allegoricus*, *Anagogicus*, & *Tropologicus* ſeu *moralis*. *Allegoricus* eſt, qui res fidei vel ad Eccleſiam militantem pertinentes ſignificat. Sic per Jeruſalem in ſcriptura hoc ſenſu ſignificatur Eccleſia Xti in terris, ſeu fides noſtra; apud Joannem: *Vidi Sanctam Civitatém novam Jeruſalem deſcendentem à Deo &c.* *Anagogicus*, qui res ad Eccleſiam triumphantem, ſeu cœleſtem gloriam ſpectantes indicat. Sic per *Jeruſalem* dat intelligi cœleſtem patriam. *Tropologicus*, qui ad mores & moralizationes pertinet. Sic per *Jeruſalem* animam juſti intelliges, literaliter autem Urbem Paleſtinæ. Porro 3plex hic ſenſus tribus virtutibus Theologicis correſpondet: *Allegoricus Fidei*; quia verſatur circa res credendas: *Anagogicus Spei*; quia circa res ſpe-

randas: *Tropologicus Charitati*; quia circa opera cum charitate Dei, ut meritoria sint, immoratur. Hi 4. sensus vulgatis versibus exprimuntur:

Littera, gesta docet; quid credas, Allegoria;
Moralis, quid agas; quò tendas, Anagogia.

In sensu *Literali* excellens habetur S. Hieronymus; in *Allegorico* S. Ambrosius; in Morali seu *Tropologico* S. Gregorius M. in *Anagogico* S. Augustinus: & hi 4. vocantur Ecclesiæ Doctores. Cæterùm Interpretes assignant adhuc duos sensus: *verum* scilicet, & *accommodatitium*. *Verus est*, quem Deus in Sacra Scriptura loquens intendit. *Accommodatitius est*, quem homines *præter*, sed non *contra* Dei mentem (ut Hæretici) ad res aliquo modo similes accommodant, ut quod Eccli 44. v. 17. dicitur de Nòé: *Inventus est justus*; id Ecclesia SS. Confessoribus in Breviario accommodat. Nunc ad regulas circa illos 3. sensus; quibus absolutis, reliqua de Idiotismo & concilianda contradict: script. tradentur.

1. *Regulæ pro ſenſu Literali Sæ Scripturæ.*

1. S. Scriptura literaliter & in ſenſu proprio intelligenda eſt, niſi juxta litteram aliquod abſurdum ſequeretur. Hinc quia ille textus: *Cùm Sederis ad menſam Principis ſtatue cultrum in gutture tuo*; cùm abſurdum quid trahat, ſi ad litteram intelligatur, *tropologicè* eſt intelligendus.

2. Multa in ſenſu literali dicuntur ſecundùm communem æſtimationem hominum; ſic de Deo quòd pænituerit creâſſe hominem, Gen; 6. v. 6. Item Joſeph Chriſti Pater vocatur, Lucæ 2. v. 48. quæ tamen non ita ſunt intelligenda ſecundùm literam.

3. Multa facta non narrantur exactè, nec ſecundùm omnes circumſtantias; ut ex Evangeliſtis conſtat: in quorum Evangeliis plurima referuntur ab uno, quæ ab aliis omittuntur; ideoq; quæ in uno loco ſcripta non ſunt, ſupplere debemus per ea, quæ alibi ſunt ſcripta. Hinc e.g. unus Evangeliſta conferendus cum alio eandem hiſtoriam ſcribente.

4. Si quæ narrativè & per inductionem aliarum Perſonarum aſſeruntur in-

sipienter, dicta non sunt infallibili authoritate Sacræ Scripturæ probanda ad eruendas consequentias. V. G. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Psal: 13. v. 1. malè eruitur: ergo non datur Deus.

5. Parabolæ non sunt ad verbum applicandæ, sed tantùm quò ad scopum, quem proferens intendit. E. G. in Parabola Lucæ 11. de homine descendente à Jerusalem, qui in Latrones inciderat, neglectus à Sacerdotibus & Levitis fuerat, sed curatus à Samaritano: Samaritanus benefaciens, proximus vocatur; ubi non sequitur: Ergo non benefaciens, non est proximus. Est igitur in Parabolis mens proferentis consideranda. Sic in illa Parabola Xti mens non erat solos amicos aut benefactores proximos esse, sed omnem hominem sive ex eadem sive diversa natione sit, hostis an amicus; id enim conclusio illa significat: *Vade tu, & fac similiter.* Hinc scopus Parabolæ sæpe ex conclusione, quæ subjici solet, eruitur.

6. Quæ manifestè colliguntur ex S. Scriptura, perinde habenda, ac si ibi scripta essent.

7. Proprius S. Scripturæ ſenſus ex loco & tempore & aliis ejuſdtm S. Scripturæ locis eruendus. Hinc errant Lutherani, qui ex eo, quod aſſerat Paulus ad Rom: 4. v. 9. fidem Abrahæ reputatam eſſe ad juſtitiam, & ei, qui operatur, mercedem non imputari ſecundùm gratiam; colligunt fidem ſufficere ad juſtificationem: debuiſſent enim ex alio loco ſcripturæ ſenſum ſupplere vg. ex Epiſtola Jacobi: *fides ſine operibus mortua eſt*, ut verum dogma fidei, & ſenſum elicerent.

8. Si duæ tropicæ locutiones alicui loco S. Scripturæ applicentur, ea præferenda eſt, quæ magis ad proprietatem accedit. Sic licèt caput 6. S. Joannis abſolutè intelligi poſſit de manducatione Spirituali, rectiùs tamen de Spirituali & corporali in Euchariſtia explicatur.

9. Moris eſt Scripturæ imperativum modum pro optativo ponere, ut Matt: 6. *Sanctificetur Nomen tuum.*

10. Scriptura videtur optarè malum, quod futurum eſt, cùm non optet, ſed prævideat, E.G. *Pſal: 78.* & *108.* & alibi in Pſalmis.

11. Mos Scripturæ est,aliquid per anticipationem narrare; sic *Psal: 125.* narrat reditum è Babyl: captiv: quod diù post factum est. Et aliquando, quæ prius facta sunt, videntur posteriùs facta.

12. Mos est scripturæ, ut ipsi, qui de se scribunt, sic de se, quasi de aliis loquantur; E. G. Joan: 13. v. 23. *Erat ergo recumbens unus ex Discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus.* i. e. Joannes erat recumbens.

13. Interrogationes in scriptura, quæ negationem inferre videntur, non semper sunt negativè intelligendæ; E. G. *Mulierem fortem quis inveniet?* Prov: 31.

14. Quandò rectus S. Scripturæ sensus aliter explicari non potest,nisi additione aliqua, addendum aliquid est, ut intelligi valeat. Sic in expositione Psalmorum Interpretes sæpe sensum supplent.

15. Quandò Scriptura loqui cum dubitatione videtur; non secundùm visionem Prophætæ, de qua certus est, loquitur,sed secundùm eos ipsos,qui monentur.

16. Apostoli & Evangelistæ adducunt aliquandò veteris testamenti testimonia

ſecundùm ſenſum, & non verba; E. G. *Matt: 2. v. 6.*

17. Quidquid in ſermone Divino neq; ad morum honeſtatem, id eſt ad diligendum Deum & proximum; neq; ad fidei veritatem, id eſt cognoſcendum Deum & proximum propriè referri poteſt; figuratum eſſe cognoſcas. *Ita S. Aug:*

18. Ad rerum & verborum cognitionem pertinet, quando ſcripturam aliquam ſacram intelligere volumus, tria diligenter conſideranda ſunt: tempus, quando ſcriptum ſit, quod eſt ſcriptum: perſona quæ dicit, vel per quam, aut de qua dicitur: & res, propter quam, aut de qua ſcribitur. *S. Cyrillus.*

19. Ambigua in S. Scriptura ſi explicari non poſſint, in utramq; partem intelligi queunt, ſi fidei ſequela non obſtet. *Ita S. Aug:* ſicut in aliis ſcientiis, ſic etiam in S. Scriptura, multa in utramq; partem controvertuntur à ſcriptore.

20. Aliqua ſunt conſideranda, puta antecedentia, conſequentia, & adjuncta, quod tamen in Prophætis, Proverbiis, Eccleſiaſtico, Pſalmis locum non habet: nam

nam Proverbia, & Ecclesiasticus sunt collectio Præceptorum, quæ ordinem inter se non habent. Prophætæ verò Spiritu, quô agebantur, frequenter à figura ad figuratum evolant, sæpissime quæ erant futura, tanquam præsentia narrant.

21. Ad solvendas contradictiones apparentes, diligenter attendendum est ad ambiguitatem vocum: de quo infrà.

22. Sæpius recurrendum est ad fontes, id est ad textum Græcum, & Hebraicum, quià Hebræizant & Græcizant adhuc sæpiùs translatores sive versores S. Scripturæ.

Nota Propterea: hæ regulæ dantur ad intelligendam scripturam literalem, quòd obscura sit, & modus ejus loquendi nobis ignotus est; modus enim ejus loquendi alius est à nostro: quia Hebraicæ, & Græcæ linguæ *Idiotismi* diversi sunt à nostro modo manifestandi conceptum mentis; qui autem sunt illi, dicetur infrà, postquam absolverim omnes Regulas pro cæteris sensibus. Proinde modò sint.

II. Regulæ, pro sensu mystico scripturæ S. observandæ.

1. Nunquam ad Spiritualem vel myſticum ſenſum indagandum progredi oportet, niſi priùs intelligatur literalis.

2. Myſticus præcipuè in veteri teſtamento, ubi figuræ Xti ſunt, invenitur; ſunt tamen multi & in novo teſtamento; ſic navicula Petri fluctibus jactata ſignificat adverſitates Eccleſiæ.

3. Senſus literalis ubiq́; reperitur: imo poſſunt plures ejuſdem ſententiæ ſenſus literales dari, ut docet *S. Hieron:* S. Aug: S. Thomas p.1. q. 12. 10. Quemadmodum ſonus campanæ duo ſigna habere poteſt; ſi ac-vg pro adventu hoſtium;& incendio; ſi accidat,ut uno tempore hoc utrumq́; contingat,ſignum campanæ editum,hoc utrumq́; ſignificare poterit eodem tempore. Non tamen in omni loco datur myſticus, vel ſi datur, non ſtatim omnes tres reperiuntur, niſi ſub disjuncto.

4. Senſus Myſticus æquè conducit ad probandas res fidei, ſi certus eſt; ſicut literalis: certus autem eſt, ſi ex aliis ſcripturæ locis,aut deciſione Eccleſiæ, vel unanimi SS. Patrum ſenſu explicetur.

5. Quidquid in S.Scriptura neq́; ad mo-

rum

rum honestatem, neq; ad fidei veritatem propriè referri potest, id figuratè accipi potest & debet; sic quæ in Canticis habentur de sponsa, id spiritualiter de anima & Ecclesia intellige: Item quæ dicuntur de mercede, bravio, denario, corona, thesauro, margarita, convivio &c. sed de beatitudinis æternæ mercede accipere oportet.

6. In sensu Spirituali nil inde inferendum absurdi, quòd una eademq; dictio variè & contrariè accipiatur; vg quòd Leo in diversis locis jam Xtum, jam alibi Sathanam significat. *Leo de tribu Juda.* & *adversarius vester tanquàm Leo circuit &c.*

7. Nominum immutatio, aut impositio à DEO, Spiritualis gratiæ indicium est; E. G. Saulus, quòd modò Paulus vocetur, Simon Petrus.

III. Regulæ pro sensu Allegorico Scripturæ S.

1. Vetus Testamentum Allegoria novi est.

2. Arca fœderis, Jerusalem, mons Sion, præfigurant Ecclesiam. Illustres viri & Fæminæ Synagogæ, Xti & Deiparæ sunt symbola. Bella, pugnæ, servitutes antiquorum, servitutem peccati, Victoriam Xti ac sequacium ejus figurabant.

3.

3. In eo præſtantius Veteri Teſtamentô Novum eſt, quòd Vetus figuram, Novum figuratum habeat.

4. Cùm legis in Deo *Alas*, protectio intelligitur; cùm *manus*, operatio; cùm *pedes*, præſervatio; cùm *oculos*, viſio; cùm *faciem*, notitia; *Aures* habere dicitur, dum exaudit; *Os*, ſi alii vice ejus loquantur. Per *linguam* intelligitur S. Spiritus, per *brachium* Filius Dei vel virtus ejus operativa, per *dexteram* omnipotentia Dei, per *manum* Filius Dei per quem omnia facta ſunt. Item per *manum* poteſtas aut flagellum Dei; per *digitum* Spiritus S. omnipotentia, virtus, & operatio; per *cor Dei Patris* arcanum Sapientiæ ejus; per *uterum*, Dei intellectum, ſive ſecretum Patris æterni, ex quo proceſſit Filius; per *veſtigia* operum ſecretorum ſigna; per *veſtimenta*, Filii Dei aſſumpta caro figuraliter intelligitur, ac Eccleſia; per *Calceamentum*, ejus imperium; per *virgam & baculum* gubernatio & ſuſtentatio; per *greſſus* Dei, ejus adventus in mundum & regreſſus ad Patrem; per *Ambulationem Dei*, protectio ejus. *Dormire* dicitur Deus, quando anxiis & afflictis

tra-

tardiùs videtur subvenire; *pœnitere*, dum mutat sententiam, non quò ad affectum, sed effectum; *Jurare* Dei vel Domini idem est ac immobiliter promittere; *contristari* dicitur Spiritus Sanctus, dum per peccatum datur causa, quæ ex se eum contristaret, si capax tristitiæ esset; *extingui* dicitur, quando per peccatum fugatur. Dum scriptura rei alicui nomen *Dei* adjungit, tunc vult significare rem eximiam.

IV. Regulæ pro sensu Anagogico S. Scripturæ.

1. Hic sensus non est assiduus in S. Scriptura.

2. *Terra promissionis* Isràël est figura Patriæ cælestis; *peregrinatio in deserto*, humanæ vitæ; *Terræ illius possessio*, æternæ gloriæ hereditatis: ut verò terra promissionis, sic beatitudo cælestis non nisi pugnando obtinetur. *Introitus* Israel in terram Chanan, & *transitus Jordanis*, figurat in cœlum transitum per *mare rubrum*, id est sanguinem Xti. *Ædificatio templi* figurat ædificationem Spiritualem & cœlestem. *Magnificentia Regis Salomonis* specimen erat gloriæ cælestis. Item *Assveri convivium* cœ-

cœleste convivium figurabat, *Esther* 1.

3. Gesta & actiones Christi sæpe sensum Anagogicum exhibent, ea præsertim, quæ aliquid gloriosum & triumphale præseferunt. Sic convivium Math: 14. & 15, convivium cœleste, quô infinita beatorum millia saturabuntur. *Resuscitatio* Lazari resurrectionem hominum in fine mundi. *Ingressus honorificus* in Jerusalem Matt:21. triumphalem in cœlum ingressum. *Transfiguratio* in monte Thabor Matt: 17. gloriam, quâ utriusq; testamenti Sanctis in æternitate communicabit. *Cœna ultima* cœnam cœlestem, cujus ideo mentionem fecit *Matt: 26. Non bibam modò de hôc genimine vitis usq; in diem illum, cùm illud bibam novum in regno Patris mei;* Resurrectio, nostram resurrectionem.

V. Regulæ pro sensu Tropologico seu morali S. Scripturæ.

1. Justi veteris & novi Testamenti nobis virtutum exempla sunt, juxta illud Senecæ: *Brevius per exempla quam per præcepta ad virtutem iter esse.*

2. Sensus morales eminentiores ex sententiis novi testamenti habentur, in qui-

quibus uniuntur, quæ in antiquis dispersa.

3. Exemplar perfectissimum Christus JESUS.

4. Vitia impiorum ad emendationem & cautelam nos inducunt. Unde contingit, ut vitia & actiones improbæ in S. Scriptura virtutem significare queant.

5. Bella & pugnæ in scripturis narratæ, significant pugnas Spirituales cum vitiis, mundo, carne & diabolo. Circumcisio V.T. cordis circumcisionem: ejus comestio agni Paschalis festinanter & stando; ut rebus caducis non ad hæreamus. Omitto plures sensus tropologicos quos eruere vel proferre longum esset.

6. Tropologicum sensum in Scriptura eruere liberum cuiq; est, si tamen sermonis contextui & pietati conformis, nec violenter extortus est. Et hæc sufficient de triplici sensu intelligendæ Scripturæ S. nunc quæ appromisi de Idiotismo annotare Græcæ & Hebraicæ linguæ, & conciliandis nonnullis contrariis, aut contradictoriis in Scriptura reperiri solitis circa locum, Personam, tempus, edocebo. Quarè.

Q. 1. Qui sunt potissimi Idiotismi Hebraicæ Græcæq; linguæ?

℟. Sequentes: 1. Hebræis Græcis Chaldæis moris est ut libros suos à Ly: *Et autem, Igitur, Ergo,* incipiant contemplantes rem antegressam.

2. Quia casibus carent Hebræi, eodemq; nomine invariato per omnes casus utuntur, hinc & Interpretes subindè per antiptosim, casum, pro casu usurpant ut 2. ad *Cor: 8. v. 23. sive pro Tito, sive fratres nostri* i. e. pro fratribus nostris.

3. Subinde prô verbo Indicativo, Præsenti, & Imperfecto (quô carent Hebræi) utuntur Præterito: Ps: 115. v. 1. *Credidi* i. e. credo *propter quod locutus sum* h. e. loquor

4. Pro comparativo & superlativo (quibus Hebræi carent) utuntur Positivô ut *Psal: 117. v. 8. Bonum* i. e. meliùs *est confidere in Domino;* quàm confidere in homine.

5. Cum volunt unum per comparationem alteri præferre, id quod præferunt affirmant, alterum negant E. G. 1mâ ad Cor: 3. v. 7. *Non ego, sed gratia Dei mecum* i. e.

non tam ego, quam gratia Dei, quamquam & ego cum gratia Dei ſim operatus.

6. Utuntur Epithaſi ſeu verbo vehementiori pro minùs vehementi, ut ad Rom: 9. v. 13. *Jacob dilexi, Eſau odio habui* id eſt minùs dilexi.

7. Aliquandò è contra per Liptoten verbo minùs vehementi utuntur, quàm intendunt ſignificare vg 1mô Regum 12mo *cap: verſu 21. Nolite declinare poſt vana* (i. e. idola) *quæ non proderunt vobis*. i. e. quæ maximè oberunt.

8. In Comparationibus ſubindè non apponunt particulam comparationis, ſimilitudinis ut *Prov:16.v.24. Favus mellis, compoſita verba* i. e. ſicut favus mellis, ſunt compoſita verba.

9. Unâ eâdemq; ſententiâ diverſis locis ſubindè diverſa & ferè contraria deſignant. E.G. *Portare iniquitatem* Lev: 10. v.17. Idem eſt ac veniam impetrare. Lev: 17. v. 16. & cap: 24. v. 15. Idem eſt ac puniri pro peccatis.

10. Apud Hebræos propter exiguum numerum radicum, quæ non ſunt niſi 1022.

à quibus omnia nomina derivantur ſæpè unum idemq; nomen, vel verbum, vel etiam ſententia, diverſis rebus deſignandis adhibetur. Exindè provenit, quod ſæpius diverſæ ſint Interpretum imò ejuſdem verſiones E. G. Pſal: 2. v. 12. 72. Interpretes dixerunt: *apprehendite diſciplinam* S. Hieronymus vertit: *oſculamini.* Sic *Tſinah* hebræum quod eſt nomen commune armorum, alii vertunt *Clypeum*, alii *haſtam*, alii *ſcutum.*

11. Propoſitionum & conjunctionum vis & ſignificatio admodum varia E. G. *Ad* ſæpe idem quod *De:* ut 2. Reg: 3.v.3. *Dominus locutus eſt ad David* idem eſt ac de David. *A* ſæpè pro *apud* vel *coram* uſurpatur *Eccli: 41. v. 21. &c.*

12. Vocula *ſi* eſt admirantis vel ſtupentis, ſubinde negantis ut Judicum 5. v. 8. *Si apparuerint* i. e. o! apparuerint! Plerumq; eſt nota jurantis E. G. 3. Reg: 17. v. 1. *vivit Dominus ſi erit pluvia:* i. e. juro quod non pluet &c. Cum poſt verba jurandi ſequitur vocula *ſi*, tunc, ſi oratio ſit affirmans vertit in negantem E. G. Pſal:

94. v. 11. *Sicut juravi in ira mea si introibunt in requiem meam.* i. e. quod non introibunt. Si ſit negans vertit in affirmantem V. G. Iſa: 14. v. 24. *Juravit Dominus si non, ut putavi, ita erit* i. e. juravit, quod ut ipſe putavit ita erit. Item voculâ *si* inchoatâ, Judæi jurare ſolebant, ſermone non integrè prolato ſubintelligendo *si ita res ſe non habeat, infeliciter diſpeream.* vide P. 130. v. 2. Simili modo particula *niſi* eſt vox juramenti exaggeratorii V. G. Iſ: 5. v. 9. *Niſi domus deſertæ fuerint* ſubaudi: *non habear Deus*, aut *verax.*

13. Unam eandemq; rem, cum habeat plures proprietates & conditiones, pluribus etiam nominibus explicant, ſic Pſal: 118. *Leges Dei* vocantur præcepta, mandata, ſtatuta, judicia, juſtitia, æquitas, teſtimonia, viæ Domini &c.

14. Quia Hebræi pauca habent nomina ſpecifica plantarum, arborum, gemmarum, animalium, hinc unum idemq; nomen Hebraicum à diverſis Interpretibus, vel etiam ab eodem diverſis locis diverſimodè expoſitum fuit. Sic latinus Hebra-

icum *Tanni* vertit *cetum* Gen: 1. v. 21. S. Hieronymus *Draconem*, & idem alibi *Sirenem* &c.

15. Quia quædam ſpecies rei alicujus apud Hebræos reperiebantur, quas non apud Græcos & Latinos reperire erat; & hinc apud hos nomine carebant; ideò in verſione ſubindè Interpretes nomen Hebræum retinuerunt, ut in Exodo paſſim ligna *Setim*.

16. Hebræi nominibus propriis vel gentilitiis ſæpè myſterium aliquod vel rem particularem deſignant. Hinc interpretes ne myſterium illud vel alluſio vocis occulta remaneat prò nomine proprio vel gentilitiô, quod eſt in Hebræo ſæpe ejus interpretationem ponunt E.G. Oſee c. 1. v. 6. & 9. Filiam ſuam *lorachuma* i.e. abſq; miſericordia Filiam *loammi* id eſt non populus meus.

17. Uni eidemq; Perſonæ non raro plura nomina indabantur: undè nunc unô nunc alio nomine apellatur Sic uxor Abrahæ vocatur *Sarai* Gen: 16. v. 1. *Sara* Gen: 17. v. 15. & *Abram* etiam *Abraham*.

18. Urbes quasi mulieres essent, ab Hebræis filiæ vocantur & quidem *meretrices si* ad idololatriam inclinaverint, alias *Virgines* nuncupantur.

19. Verba neutra subindè activè exponenda sunt, & verba activa per aplicem actionem ut *2dâ* ad Corinthios *Cap: 2. v. 14. Deus triumphat nos* i.e. triumphare facit.

20. Voces: *non amplius*, *non ultra*, *æternum*, *sæculum*, *generatio* per varios casus variatæ sæpè non significant absolutam æternitatem, sed longum tempus & quasi æternitatem humanam E.G. Paralip: c. 15. v. 2. ubi de Levitis dicitur: *Quos elegit Dominus ad portandam eam* (i.e. arcam) *& ad ministrandum sibi usq; in æternum* Sic nec Ly: *infernus* locum damnatorum semper, sed sæpè sepulchrum designat.

Pro plurimis exemplis ac majori notitia idiotismorum videatur *Tirinus* ex quô ista etiam sunt hausta.

Q. 1. *Quæ Regulæ ad conciliandas contradictiones circa Personas in S. Scriptura?*

℟. Sunt sequentes: I. Usitatum est in

S.

S. Scriptura, quod bona opera quæ facimus Deo adſcribantur ita S. Aug: Sic ad Romanos 8. *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus in enar:* ideſt: poſtulantes facit; intelligi debet.

2. Deus quos non diligit neſcire dicitur ut Lucæ *13. v. 27. Diſcedite à me operarii iniquitatis quia non cognovi vos.* & econtra quos ſcire dicitur, diligit: *2dâ* Petri *Cap: 2do v. 9. Novit Dominus pios de tentatione eripere.*

3. Sæpe etiam ſcire dicitur Deus, quæ alios facit ſcire, & neſcire quæ aliis non indicat V. G. *Matt: 24. v. 36. De die autem & hora* (i. e. Judicii) *nemo ſcit neq; Angeli cœlorum, niſi ſolus Pater.*

4. Quotiès abſolutè legimus venientem, vel venturum nec perſona aſſignatur quæ venit, in V. T. ſimpliciter eſt de Chriſto intelligendum E. G. Pſal: 117. v. 26. *Benedictus qui venit in Nomine Domini.*

5. Quæ de Xto dicuntur non ſemper ei in Perſona conveniunt, ſed ſubin: ei tanquàm capiti, ſubin: ejus Corpori Eccleſiæ, ſubinde utriq; .

Q. 2. quæ Regulæ ad conciliandas contradictiones circà numerum in S. Scriptura?

℟. Sunt ſequentes: I. Nomina numeralia uſq; ad 5. pro paucitate, ſuperantia 5, pro pluralitate accipi, ut 1mâ ad Cor: 14. cap: verſu 19. *In Eccleſia volo quinq;* i. e. pauca, *ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam, quàm decem millia verborum* i.e. multa, *in lingua.*

2. Mos eſt S. Scripturæ maximè in Hebraico textu, nomina Cardinalia pro ordinalibus ſumere ut Joan: 20. v. 1. *Unâ autem Sabbathi* pro 1ma die ſolemnitatis azymorum.

3. Numerus definitus frequenter ponitur prò indefinito ut Pſal: 90. v.7. *Cadent à latere tuo mille & decem millia à dexteris tuis* id eſt plures vel plurimi.

4. Non raró numerus ſingularis in ſcriptura ponitur prò plurali. E.G. Gen: 2. v. 6. *Fons aſcendebat è terra, & irrigabat faciem terræ* pro fontes aſcendebant.

5. Omnes prò multis & multi pro omnibus crebrò in ſcripturâ ponitur, ita Xtus quandò de ſanguine ſuo dixit: *qui*

pro

pro vobis & prò multis: (i. e. omnibus) *effundetur.*

6. Cum idem ſubſtantivum in nominativo ponitur cum genitivo plurali, excellentiam quandam ſignificat V.G. Rex Regum.

7. Cum S. Scriptura omnia licere vel facienda, ſuſtinenda, aut improbanda dicit, de bonis tantùm & licitis rebus loqui cenſenda eſt, uti: *omnia quæcunq; orantes petitis, credite quia accipietis* Marci 11. v. 24

Q. 3: Quæ Regulæ circa tempus pro intelligentia Scripturæ poſſunt ſtatui?

℟. iſtæ:

1. More Hebræo frequenter tempus præſens pro futuro ponitur: ut Lucæ 19. v. 8. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus.* pro: dabo.

2. Etiam præteritum non raró prò præſenti ponitur ut *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus* pro: exultat.

3. Frequentiſſimum in ſcriptura eſt, ut præteritum prò futurô accipiatur ut *Pſal: 20. v. 1. Domine in virtute tua lætabitur Rex* pro: lætatus eſt.

4. Quandò unum & idem verbum per conjugata ponitur, vehementiam & confirmationem sententiæ significat sic Psal: 117. v. 17. *Castigans castigavit me Dominus.*

5. Imperativus non semper vim præcepti sonat, sed interdum si nominibus adhæreat vim deprecandi habet, sic illud Matt: 19. v. 21. *Si vis perfectus esse vade, vende omnia*: consilium est. Et 1mâ ad Corinth: 7mo cap: v. 27. *Solutus es ab uxore? noli quærere uxorem* precatio est.

6. Frequenter in S. Scripturâ aliquid tunc fieri dicitur, quandò innotescit, non quandò actu fit. Sic Lucæ 2. v. 52. dicitur de Xto *Proficiebat sapientiâ* qui jam antecedenter habebat sapientiam.

Non paucæ etiam voces in aliô sensu à Scripturâ accipiuntur quem 1mo aspectu videntur habere sic Math: 1. v. 25. *Primogenitus* non sumitur quasi post Christum alius à B. V. M. natus fuisset; sed pro: *unigenitus.*

Q. ultimò *qui sunt Doctores & Interpretes consulendi ad intelligendam Scripturam S?*

℟. 1. Doctores præcipui hi sunt, qui

&

& ordine ætatis proferuntur: *S. Ambrosius*, subtilis, brevis, & cum pietate Origenis imitator. *S. Chrysostomus:* in Epistolis Pauli alios vincens. *S. Hieronymus* quoad vetus testamentum non habens sibi parem. *S. Augustinus* in omnibus præstans & *S. Gregorius* magnus.

R⁄. 2. quoad *Interpretes* præcipuè est *Glossa* seu Collectio variorum ex scriptis SS. Patrum. Nicolaus Lyranus. Tostatus. Hugo Cardinalis. Cornelius à Lapide. Jacobus Tirinus. Joan: Steph: Menochius, qui brevissimè totius scripturæ literalem sensum explicat & Q. Exegeticæ *Brictii S. J.* superius ubi de Concione dictum, nominati.

Et hæc sint sufficienter dicta de S. Scriptura, jam modo sequatur.

INSTRUCTIO V.

De Missâ ejusq; ritibus ac Ceræmoniis.

INstructio præsens in 5. §. secabitur. *1mô* agetur De Missa in genere.

2dô

2dô De Missis coram Vrli Sacramentô, de Votivis & de Requiem Conductuq;
3tiô De Missa Solemni cum ministris.
4tô De Missa quæ absolvitur coram Prælato.
5tô Explicabuntur Ceræmoniæ Paramentorum Missæ cæteraq; requisita.

Priusquàm autem ad singulos descendam, prænotanda sunt præliminariter aliqua generalia de Missali & Rubrica, quarè

Nota 1mo. Qui vult præsentem doctrinam penitiùs intelligere præmittenda est illi Missalis notitia, idemq; Missale ab eodem studiosiùs perspiciendum est, & quot in partes divisum est cognoscendum, ut suo tempore, quod vult cito invenire possit. Porrò *Missale* in 11. partes dividitur, quæ sunt 1. Calendarium. 2. Rubricæ Missæ. 3. Missæ de tempore ab Adventu usq; ad Pascha. 4. Ordo Missæ. 5. Missæ de tempore à Paschate usq; ad Adventum. 6. Missæ propriæ Sanctorum. 7. Missæ Communes Sanctorum. 8. Missæ Votivæ. 9. orationes ad libitum dicendæ. 10. Missæ pro Defunctis. 11. Benedi-

nedi-

nedictiones variæ. In nostra Patria 12ma Pars est, in qua de Patronis Regni Poloniæ & regni Sveciæ adiiciuntur Missæ.

Nota 2. Rubrica in genere nil aliud est, quàm *Regula authoritate summorum Pontificum in missali vel Breviario ad rite celebrandam missam vel officium Divinum recitandum præscripta.* Ordinariè enim Missa concordare debet cum officio, suntq; secum connexa. *Rubrica* vocatur quòd rubro plerumq; colore præscribatur. *Rubricæ* aliæ sunt *generales* quæ quid generatim observandum est, indicant: aliæ *particulares* quod nam particulariter detempore vel Sanctis observandum? Aliæ *Præceptivæ* quæ obligant sub peccato, aliæ *directivæ* quæ non ita obligant, cum sint de consilio, nisi ex contemptu Ecclesiæ præscribentis omittantur. Signa quòd aliqua rubrica sit *præceptiva* à PI.honer hæc inducuntur 1mô quandò in rubrica reperitur hæc particula *graviter,gravissimè peccat.* 2. Si omitterentur vel mutarentur tàm multæ rubricæ ut ex tali omissione vel mutatione ritus moraliter censeretur

esse

esse alius à præscripto. 3. quandò id, quod præscribitur à rubrica ad integritatem Sacramenti vel sacrificii pertinet. 4. Si Doctores concordant eam esse de re gravi & præceptivam. Ita concordant in his *imò* ut Missa sit in loco sacrô, non interdicto. 2. Ut altare sit consecratum ab Episcopo, fixum; vel quod portatile dicitur, quod debet esse ita magnum ut Calicem & patenam capiat. 3. Ut sacræ vestes sint in Sacerdote. 4. Ut in altari sit antependium, Crux, tres mappæ (quarum superior ut sit benedicta) candelabra. 5. Calyx ab Episcopo benedictus (cujus cuppa sit argentea vel intùs inaurata nisi Ecclesiæ paupertas excuset, tunc saltim sit stannea) ornatus purificatorio, patenâ, pallâ, velô, bursâ, in quâ sit corporale. De quibus plura vide in TT. moralibus. Hic occasionaliter observa si in benedictionibus adhibetur S. Oleum dicitur res consecrari, secùs tantum benedici. Idcircò Episcopus dicitur consecrari, Abbas benedici. his prænotatis sit

§ I.

§ I.

De Missa in genere.

Missa j. Hugonem de S. Victore sic dicitur à precibus ad Deum *missis*. Quoad-rem: *est verum & incruentum Sacrificium in novâ lege, in ultima cæna à Xto institutum, & Deo per legitimum ministrum cum certis ritibus & ceremoniis offerri solitum tum ad delenda peccata (quâ est propitiatorium) tum ad gratias agendas pro beneficiis (quâ est impetratorium) tum ad supremum Dei Dominium profitendum (quâ est Latreuticum)* De Missa & sacrificiis vide Theologos morales quoad scientiam scholasticam de illis acquirendam.

Porrò Missa alia est *Cathechumenorum* id est necdum baptisatorum, ad baptismum se tamen præparantium, quæ durabat usq; post Evangelium, eô enim absoluto dimittebantur *Cathechumeni* à Diacono: quoniam tunc oblatio & sacra mysteria incipiunt, quibus interesse nonnisi baptisatis licet, & hi solùm de illis participant: alia *Fidelium* qui toti sacrificio intererant & nonnisi in fine dimittebantur.

Ad

Ad nostrum scopum communiter Missa dividitur in *solemnem* & *non solemnem*. Illa est in quâ nihil omittitur, quod ad solemnitatem spectat: Ista est in qua omnia ista sicuti: *incensationes, pacis oscula, &c.* omittuntur. Item alia est *Conventualis* seu publica quæ immediatè post horas diurnas ad summum altare absolvitur: & *Privata* quæ à Personis privatis quôcunq; tempore legitur. Demum Missa alia est de *Tempore* seu *de die*, quæ cum officio juxta directorium concordat, & *Votivam* quæ pro votô id est arbitrio rationabili legitur, ut est de S. Maria, de Angelis, de Passione &c.

Q. 1. quid est & quotuplex ritus Missæ?

℟. 1. Ritus seu Ceremoniæ Missæ sunt actiones externæ ad sacrificium Missæ religiosè offerendum institutæ, ideò, quia per has majestas sacrificii commendatur, mentesq; fidelium inflammantur. De his lege Tridentinum *Sess 22. cap: 5. & Sess 7. can: 13.*

℟. 2. Ritus præcipuè sunt 4. hoc est: 1. Corporis inflexiones. 2. Manuum di-

dispositiones: 3. Vocis formationes: 4. Oculorum directiones de his singulis hanc distinctim Capias notitiam.

I. *Corporis inflexiones* sunt 4. 1. Solius capitis quæ *simplex* vel *minima* dicitur. 2. Humerorum, quâ caput cum humeris inclinatur & dicitur *mediocris*: hæc toties fit, quoties in Rubrica apponitur: *inclinet se, inclinatus, aliquantulùm inclinatus* 3. Corporis, seu *profunda*, quæ fit per talem inflexionem Corporis ut extensâ manu possit genu attingi, ut fit in *Confiteor* ad Missam. 4. *Genuflexio*, quæ vel uno vel duobus genibus fit. Quoties genuflectitur non inclinatur caput, sed manibus hinc indè positis super altare genuflectendum est usq; ad terram.

II. *Manuum dispositiones* sunt septem. 1. Extensæ ante pectus tenentur. 2. Extensæ super altare ponuntur. 3. Junctæ tenentur ante pectus. 4. Junctæ super altare ponuntur, & tunc parvi digiti frontem altaris tangant. 5. Junctæ & extensæ super oblata tenentur. 6. Simul extenduntur, & elevantur 7. Cruces de-

 xtrâ

xtrâ formantur cum eâ attentione ut si se signat, apponat pectori, si librum libro, si quas res in altari, super altare ponat sinistram manum.

III. Vocis inflexiones sunt 3. *Alta. media.* & *Submissa.* Si plures simul celebrent, decet, ut inferior cedat digniori, voce, aut cedat ille, qui legit ad minus altare sive ad latus ut dicitur.

IV. *Oculorum directio* seu eorum *elevatio* & *depressio.* Quandò autem hæc omnia & ubi, quomodò, qualiter, applicanda sunt, & actualiter exercenda, ordo Missæ videatur in Missali & exercitium Practicum in Seminario fieri solitum edocebit.

Q. 2. Quæ sunt Regulæ generales circa ritum Missæ?

℟. Sequentes: I. Quandò exit ex Sacristia priùs Cruci facit inclinationem profundam.

II. Quandò Sacerdos venit ad altare, vel in fine recedit ab illo, in quô est tabernaculum occlusum cum Ssmo Sacr: unc genu genuflectit (idem dic in prætereundo) si autem est expositum Ssmum paten-

tenter, flectat utroq; genu, & caput devotè inclinet. Idem est si elevetur in alio altari. Alias coram Cruce tantùm profundè se inclinat, quandò accedit & recedit. Post genuflexionem surgens non se iterum inclinet.

III. Si nec dum incæpit *Introibo* & fit Consecratio in alio altari aut Elevatio, debet flectere pausans antè suum altare, donec finiatur. Idem observa in recessu ab altari si sic contingat.

IV. Quotiescunq; manus jungendæ antè pectus, digiti non sint disjuncti, nec inflexi, nec casulam tangant, naturali ordine sibi cohærentes; Item: dùm manus extenduntur, palmæ manuum sese respiciant, & summitas digitorum æquet humeros.

V. In *Confiteor* non vertit se ad pueros ad illa verba & *vobis* & *vos fratres*, sed tantùm in solemni Missa ad ministros id fit.

VI. Dùm Celebrans seipsum signat Cruce, infra pectus super cingulum ponit sinistram, infra quam dextera non descendat. Idem observetur in benedictione si-

gnando populum in fine Missæ. Plura dixi supra ubi *de manuum dispositt.*

VII. Dum Post *ministranturam* ascendit ad altare dicendo *Oremus* (ad quam vocem semper inclinandum Caput versùs Crucem, elevando removendo ac simul jungendo manus) ascendit sine genuflexione etsi Venerabile esset expositum.

VIII. Dùm ponit super altare manus junctas, parvi digiti frontem altaris attingant, quod semper fit etiam post Consecratt. In duobus casibus non ponit manus junctas super altare, sed inter se & altare tenet junctas. 1. ad *munda* 2. ad *Sanctus*.

IX. Nunquàm in àére una manus sit suspensa, sed unâ occupatâ, altera ponatur super altare, vel pectori ad moveatur.

X. Quoties Rubrica dicit ut *se inclinet*, tantùm humerorum inclinatio est. Profundè verò in sacrificio inclinari debet. 1. ad *Confiteor* 2. ad *Munda cor*, 3. ad *Te igitur* 4. ad *Supplices te* 5. ad Sumptionem Corporis. 6. ad *Placeat* juxta aliquos.

XI. Dùm osculandum altare, manus ponantur,

nantur, hinc, inde, ſuper altare, ante conſecrationem non in Corporali, poſt conſecrationem ſemper ſuper corporale, oſculandum autem non à parte, ſed in medio altare.

XII. Quoties medium altaris accedit vel recedit, fiat Cruci Capitis inclinatio, ſi non eſt SSmum, nam ſi eſt, genuflectat & eo præſente ubi ſe vult vertere ad populum, ad latus ſubmovere ſe debet, prius verò genuflectat in medio. Quandò ſe vertit, vertet ſe à ſiniſtro latere ad dextrum ſeu à cornu Epiſtolæ ad cornu Evangelii. Bis in miſſa facit circulum cum ſe vertit, ſcilicet ad *Orate fratres* & ad benedictionem populi.

XIII. In Concluſione Orationis: *Per Dominum* jungit manus junctaſq; tenet uſq; ad finem. Si concluditur *Qui vivis* cùm dicit. *in unitate* jungit.

XIV. Si oratio dirigitur ad Deum Patrem concluditur *Per Dominum noſtrum J. C.* Si ad Filium: *Qui vivis & regnas* Si in principio orationis Filii fit mentio, concluditur: *Per eundem Dominum noſtrum*

J. C. Si in fine *Qui tecum:* Si facta sit mentio S. Spiritûs, in Conclusione additur: *In unitate ejusdem Spiritûs.* Prima & ultima tantùm clauditur oratio, & quidem secundùm dictum claudendi modum: Undê si in primâ vel ultimâ non sit mentio Spiritûs S. omittitur: *Ejusdem.* Excipe Missam ferialem in Quadragesima, in quâ post ordinarias Orationes in fine Missæ adiicitur nova præmissis verbis: *Humiliate capita vestra Deo,* ad quæ verba caput Cruci inclinat, sed se non vertit versùs populũ.

XV. Ad verbum *Jesus* inclinatur caput Crucem versùs; si fiat in Evangelio hujus nominis mentio, versùs librum. Ad verbum Christus caput non inclinatur, nisi semel in Memento defunctorum inclinatumq; manet ad verba *Nobis quoq; peccator:* Si nominatur nomen B. V. M. vel Patroni vel Sancti de quo fit Missa, vel dequô facienda est commemoratio vel Papæ, semper versùs librum inclinatur caput etiam in Canone, si ibidem eorum nomina recurrant.

XVI. Benedictiones fiant erecto Corpore,

pore, & quoties fit benedictio, ante benedictionem junguntur manus, & quidem super oblata fit benedictio dexterâ manu rectâ etiam in transversa parte Crucis.

XVII. Orationes, Canon Missæ (exceptis excipiendis) manibus extensis recitantur. Extra missam orationes junctis man: dicuntur.

XVIII. In Missa toties dicitur *Gloria* quoties in officio dictus est Hymnus Ambrosianus *Te Deum laudamus*. Excipe 1. Votivas non nullas, dequo infra. 2. Vigiliam, quæ celebranda est infra 8vam, ubi in officio de 8va dicitur *Te Deum* non tamen in Missa dicitur *Gloria*. 3. Missam Cœnæ Domini & Sabbathi Sancti, ubi dicitur *Gloria* licet in officio non præcesserit *Te Deum laudamus*.

XIX. In festo *2plici* una tantum dicitur Collecta seu oratio, nisi sit facienda aliqua commemoratio. In festo *semiduplici* habentur regulariter 3. Orationes (Excipe octavas Paschæ & Pentec: ubi 2da est vel pro Eccl: vel pro Pontif. Ab adventu usq; ad Vigiliam nativitatis ex-

clusivè 2dâ est *Deus qui de beata*, & habetur in Missa Dominicæ 1. Adv: 3tia pro Eccl: vel Papa. Post Adventum usq; ad Purificat: 2dâ Oratio est *Deus qui salutis*, 3tiâ pro Eccl: vel Papa. A Purificatt: 2dâ *A cunctis* in quâ sub littera N. nomen Patroni seu Titularis illius Ecclesiæ exprimendum. Hæc oratio reperitur in Dominicâ Quadragesimæ & inter orationes diversas num: 2, *3tiâ* est ad *libitum* id est potest sumi una ex orat: diversis quælibet. In Quadragesima 3tiâ oratio est pro vivis & Defunctis: *Omnipotens sempiterne Deus:* reperitur in Dominica 1mâ Quadrag: & inter oratt: diversas est ultima. A feria 2dâ post 8vam Paschæ usq; ad Pentecosten 2dâ oratio est: *Concede nos famulos:* 3tiâ prò Ecclesiâ vel Papâ: reperiuntur antè Dominicam 2dam post Pascha. *Nota* quandò præscribitur 2dâ oratio *Concede* non est illa ad petenda suffragia, quæ est inter orationes diversas numerô prima, sed illa de Beata *Concede, nos famulos.* Item si oratio: *Deus qui*: præscribatur, tunc in Adventu est: *Deus qui*

de

de Beatæ. Post Adventum: *Deus qui salutis,* quæ reperitur Dominicâ 2dâ post Epiphaniam. A Pentecoste usq; ad Adventum 2dâ est: *A Cunctis* 3tiâ ad libitum. De Sanctis quales singulis diebus sint faciendæ commemorationes est inspiciendum Directorium ideò sic dictum, quia dirigit prò Missis celebrandis, Horisq; Canon: recitandis.

XX. De simplici, de Vigilia, de feria possunt dici tres, 5. vel 7. orationes ad libitum Sacerdotis vel petentium: non tamen sint plures quam 7. dum modô præcedant aliæ à Rubricis præscriptæ 2dô & 3tiô loco. Si Loci Ordinarius aliquam Collectam præcipit V. G. ad petendam pluviam, hæc dicatur post orationes à Directorio præscriptas, omittitur tamen incidente festo 1mæ & 2dæ Classis.

XXI. Oratio *Fidelium* pro Defunctis sicuti in Missa privatâ semper debet esse ultima, ita in aliis missis quandò præscribitur debet esse penultima.

XXII. Symbolum seu *Credo* non habent M.U.C. id est Martyr, Virgo, vel Vidua,

Con-

Confessor, nisi venerint in Dominica, vel sint Patroni aut Titulares. Excipe Confessores, Doctores, qui sunt præcipui 4. de quibus in officio dicitur *O Doctor optime* *Item* Excipe festum M. Magdalenæ & Sancti de quo habetur reliquia notabilis ut Crus, Brachium, Caput, aut illa pars in quâ Martyr passus est. Infra 8vam, cujus festum habet *Credo* semper dicitur *Credo* Sicuti semper dicitur in Dominicis.

XXIII. Præfatio in Dominicis nunc propter Breve Clementis XIII Papæ semper dicenda est de SS. Trinitate etsi festum incidat, nisi festum vel Dominica habeat propriam. Præfatio Festi habentis 8vam dicitur etiam per 8vam, etiam incidente festo, quod propriam non habet. Excipe Missam de Requiem, in quâ semper communis dicitur, & Missas Votivas infra Nativitatem Domini, ubi præfatio Nativitatis dicitur, licet votiva propriam habet. Lhonor.

XXIV. *Communicantes* & *Hanc igitur* non dicitur ultra 8vam etiamsi præfatio festi

ultra protrahatur; nec omittitur infra 8vam, licet præfatio 8væ ob specialem præfationem missæ Votivæ, omittenda sit.

XXV. Quoties in Missa dicitur Hymnus Angelicus *Gloria in excelsis* toties dicitur *Ite missa est:* versùs populum. *Benedicamus* autem dicitur versùs altare & *Requiescant in pace*, quia est de absentibus.

XXVI. Liber si sit ex parte Epistolæ claudendus, pars anterior respiciat calycem, quandò vero ex parte Evangelii, pars posterior.

XXVII. Quoties in officio D. fuit prô nona Lectio: Evang: cum Homilia, toties idem Evangelium in fine Missæ legitur, alias legitur Evangelium S. Joannis nisi priùs fuit lectum, ut fit in 3tia Missa Nativitatis Xti, ubi in fine legitur Evang: Epiphaniæ Domini. Excipe ab hac regulâ votivas.

Hucusq; de Missa in genere, nunc jam Missas in particulari attingemus. proinde sit

§ II.

De Missis coram Venerabili, Votivis, & de Requiem.

In

In Missâ coram Venerabili præter illa generalia, quæ dicta sunt observanda sunt hæc specialia. 1. Oratio de Ssmô Sacramento sit *2dâ* sub unâ clausulâ cum prima. 2. Quandò descendit aut se vertit, non vertat tergum Vbli. 3. In benedictione populi dicto *Omnipotens Deus* genuflectit & recedendo ad cornu Evangelii benedicit non perficiendo circulum, sicut & ad *Orate fratres*. 4. Si non adsit liber vel tabella pro ultimo Evangelio, tunc altare non debet signare præsenti Ssmo, dicens autem *Et Verbum Caro factum* aliquantulum versâ facie ad Ssmum genuflectit. Accedens & recedens genuflectat semper.

Circa Votivas hæc sunt Observanda:

1. *Votiva* non potest absolvi in festo 2plici, in Dominicâ 1mæ Classis, & currente per annum, octavâ Nativitatis, Epiphaniæ Paschatis Pentecostes, Corporis Christi, in die Cinerum, Hebdomadâ Sanctâ, & cæteris tum feriis tum octavis privilegiatis in Directorio notatis.

Nota Dum dicitur non posse absolvi in *2plici* & *Dominica* currente per annum,

aut

aut 2dæ classis, votivas, &c. subintellige non solemnes, nam solemnis votiva absolvi potest, quandoq; scilicet quando votiva cantanda est *pro re gravi*, vel pro *publicâ Ecclesiæ causâ*. *Res gravis* pro quâ votiva cum *Gloria* & *Credo* canitur, ea est, pro qua, convenit totus Clerus cum Episcopo, *Causa publica* vero, quæ cum re gravi convenit multùm, vocatur ea, pro quâ totus Clerus cum Episcopo, si hic invenitur, convenire solet vg pro peste, fame, bello avertendis &c. aut gratiæ pro aliquo beneficio agendæ ut absolvimus votivam SS. Trinitatis pro victoria ex Turcis.

2. Infra octavam B.V.M. non dicitur votiva ejus, sed de Ejus festo cum *Gloria & Credo* si officium fiat de octava, si vero officium tunc incidens fuit de festo alio semiduplici, dicitur missa festi B.V. Mariæ, loco votivæ, sine *Gloria & Credo*. Idem fit infra 8vam aliorum Sanctorum. Votivæ de B. V. M. in Sabb: sunt cum *Gloria*.

3. In Missis votivis de Sanctis Missa dici-

dicitur propria si habeatur, vel de Communi, & verba *natalitia festa* mutantur in verbum; *Commemoratio.*

4. De *Collectis* in Missa votiva hæc scias: 1. Collectæ plures, nam usq; ad 7. protrahi possunt in votiva. 2 Si votivæ sint solemnes pro gravi causa Ecclesiæ celebratæ unica in illis oratio dicenda est, excepta Votivâ de SS. Trinitate pro gratiarum actione, in qua 2. orationes sub unâ clausulâ absolvendæ. *Collectæ* ex eo sic dicuntur, quod in illis, preces Fidelium collectæ Deo offerantur, & quod earum tempore eleemòsina pro pauperibus colligebatur. *3tiò* In votivis privatis. *2dâ* Oratio debet esse de illo de quo fuit officium: *3tia* vero illa dicenda est, quæ in Missa correspondente officio *2dò* loco diceretur puta simplicis vel de Beata aut pro Ecclesia: In Votivis verò de Beata 2da oratio de officio diei, 3tia de Spiritu Sancto, quæ omittitur si adest commemoratio simplicis.

5. *Tractus* in votivis dicitur à Septuag: usq; ad Pascha: & tempore Paschæ dicuntur

tur 2. ℣, & 4. All: alias Gradu: & ſumuntur de comm: ſi propria non habentur.

6. *Præfatio*, In illis Votivis quæ propriam non habent dicenda eſt Communis vel de Tempore, puta Quadrag: Paſſionis, Paſchatis; vel ſi celebrabitur infra octavam ſit octavæ cum *Communic:*

7. Votiva in col: viol non habet *Gloria* (ſicut nec *Credo*) per conſequens *Benedicamus Dno* ſubſtituendum pro *Ite Miſſa eſt.* Tunc autem dicitur ſemper *Ite Miſſa eſt* quando in votiva eſt *Gloria.*

8. Evangelium S. Joannis *In principio erat verbum* ſemper legendum eſt in votivis in fine, & non aliud.

Circa Miſſas de Requiem:

I. Obſervanda ſunt quæ ſunt omittenda id eſt: I. Pſal: *Judica* omittitur 2. Ad introitum non ſignat ſe, ſed tamen Miſſale ſignetur, ſiniſtrâ manu ſuper illud poſitâ. 3. Non dicitur *Gloria Patri.* nec *Gloria in Excelſis* nec *Credo.* 4, omittitur *jube Domine benedicere* ſignat tamen librum Evangelii & ſeipſum, 5.

Non

Non osculatur in fine Evangel: nec dicit *per Evang: dicta.* 6. Aqua infundenda non benedicitur, dicitur tamen *Deus qui.* 7. Post *Lavabo* non dicitur *Gloria Patri* nec *Requiem æternam.* 8. Præfatio semper communis. 9. Ad *Agnus* pectus non percutitur, bis dicitur *dona eis requiem,* 3tio additur *Sempiternam.* 10. Ante Comm: omittitur Oratio Ima *Dne Jesu Xte qui,* sicut & osculum pacis. 11. In fine dicitur in plurali *Requiescant in pace* etiamsi pro uno celebretur.

II. Quoad tempus & cæteros ritus hæc observa. 1. Tunc de *Requiem* dici potest, quando & Votiva. In Dominicis non privilegiatis & festis duplic. si sit dies Depositionis Corporis absolvi potest solemnis, sed non privata, modo de festo non omittatur solemne sacrum ita S.R.C. 1693. Quod in Parochia ubi unicus est Sacerdos, non habet locum. Item quando 2plex non est Imæ vel 2dæ Classis potest etiam cantari anniversarium ex dispositione testatorum, etiam in 2plici majori S.R.C. 22. Nov: 1664.

1664. 2. Quando Missa solemnis est de Requiem, dicitur unica oratio, quod id ipsum observa in Missis privatis, in *Commemoratt: OO. Fidel Defunct:* in Die obitûs, in 3tiâ, in 7mâ in trigesima anniversaria. 3. Quoties unica tantum dicitur oratio, toties & dicitur *Dies iræ* de præcepto, quando plures, tunc ad libitum. 4. In quotidiana Missa de *Requ:* semper orationes 3. dicuntur: Si pro defunctis in genere legitur, manent 3. in Missali ordinariæ, si pro aliquo vel aliquibus in specie defunct: dicenda oratio, loco 1mæ orat: sumitur alia ex orationibus diversis Defunct: secundâ & tertiâ manentibus. Ad N. nomen exprimendum Defuncti. 5. Missæ Privatæ pro Defunctis in 2plici nullatenus absolvendæ S. R. C. 30. Aug: 1700. Quod si ex benefactorum & Fundatorum præscripto Missæ hujusmodi incidant in festum 2plx, eadem S.R.C. decrevit eas non esse transferendas in diem non impeditum, ne differantur suffragia expectantibus, sed per applicationem de festo illo fiant Missæ. In Die *Commem:* OO. Fidelium Def: Missa applicari potest pro

OO. Fidelibus vel pro aliquo tantum ita S. R.C. 4. Aug: 1663. Missa sit in Colore nigro vel saltim violaceo. Ex Decr: S.R.C. 21. Junii 1670. Durante expositione Ssmi Sacr: non licet celebrare Missas etiam privatas Defunctorum etiamsi in semidupl: S.R.C. 1654.

§ III.

De Missa Solemni cum Ministris.

Prænoto Missam Solemnem cum ministris ac Ceræmoniis illis hic producam, quæ in plurimis Ecclesiis tam exteris, quam etiam Patriis nostris adhiberi solent, & cum Romanis concordant. Exoticæ dici nequeunt, cum sint cum præexpressis Ecclesiis nobis communiores & ab exoticis abhorrentes.

Q. 1. Quæ in Missa Solenni observanda ante egressum è sacristia?

℞. Sequentia: 1. Ministri ante Celebrantem debent esse vestiti vestimentis cuilibet propriis, & congruentibus, scilicet *Acolythi* superpelliceis, *Diaconus & Sub-Diac:* amictu, albâ, cingulo, Manipulô, (*Diaconus* Stolâ à sinistro humero perpectus, ad latus dextrum pendente) Tunicellâ; à quibus præmittenda fuit ante, manuum lo-

tio.

tio. Diaconus & Subdiaconus debent Celebrantem adjuvare in induendo, Subdiaconus manipulum, Diaconus ſtolam cum debitis oſculis porrigendo: Diaconum vero &Subdiaconum reliquiMiniſtri.

Adverte Antequam Celebrans exeat, maturè ante per Ceremoniarium præparari debent in Credentia: Calyx coopertus, Duo miſſalia, unum pro miſſa pro Celebrante, aliud cum Epiſtola pro Subdiacono; ac Evangelio pro Diacono, & alia quæq; paranda pro tunc neceſſaria.

2. Sic omnibus paratis petitur incenſum in ſacriſtia, ubi Thuriferarius thuribulum adminiſtrat, Diaconus naviculam, Subdiaconus idem thuribulum ad pedem thuribuli ſuſtentat. Unde

Obſervandum qui Celebranti aliquid porrigit prius inſtrumentum deinde manum, quando recipit, priùs manum deinde inſtrumentum oſculetur. Excipitur, ſi coram Ssmo expoſito celebretur Miſſa, vel in Miſſis Defunctorum, in quibus omnia ceſſant oſcula.

3. Diaconus dum porrigit cochlear ad imponendum incenſum, parum inclinatus

versùs Celebrantem dicit *Benedicite Reverend: Pater* Celebrans ſubjungit: *ab illo benedicaris in cujus honorem cremaberis* formatq; crucem poſt redditum Diacono cochlear.

Obſervandum eſt hoc ſemper circa impoſitionem thuris 1. quod imponens ſemper ſtare debeat. 2. ter ex navicula ſumptum thus imponit in thuribulum, atq; ad 1mam impoſitionem dicit *ab illo benedicaris* ad 2dam *in cujus honorem*, ad 3tiam: *Cremaberis Amen.* dein, format Crucem ſuper thuribulum opertum. Hanc tamen benedictionem omittit ſi ſolum Venerabile incenſandum eſt, quia adeſt author benedictionis.

5. Impoſito thure & facta inclinatione profundâ Crucifixo à Celebrante, Celebranti miniſtri ſe inclinant tandem procedunt ad altare: 1mô Ceroferarii, quos præcedit Acolythus cum thuribulo, poſt eos, Acolythus cum Navicula, quos ſequuntur Subdiaconus Diaconus atq; Celebrans. *Nota* 1. hic, Acolythus cum navicula ſocius Thuriferarii, hic idem erit & Ceremoniarius, qui Evangelii librum

ac Lectionis, Diacono & Subdiacono subministrat, Celebranti porrigit, signat, demonstrat, dum tempus est, Celebrantem ac ministros monet &c. *Nota* 2. Quando Celebrans est in pluviali tunc non solum ex sacristia procedendo, sed ubiq; Diaconus cum Subdiac: ad latus assistunt Celebranti, tenentes utrinq; alas pluvialis maxime dum aspergit, non vero unus post alium eunt.

Q. 2. Quæ observanda ab initio Missæ usq; ad offertorium?

℞. Sequentia 1. Postquam venerint ad altare, Diaconus à dextris Celebrantis, byretum ejus accipit stans, idq; cum suo tradit Acolytho, idem facit à sinistris Subdiaconus. Postea, si sit Ssmum, ambobus genibus genuflectunt, si sit tabernaculum occlusum, uno tantum genu usq; ad terram. (quod observetur etiam per decursum) Si sit tantum Crux, Celebrans se profundè inclinat, Ministri genuflectunt uno genu. Quoties se signat Sacerdos toties Diaconus & Subdiaconus: Excipe quando se signat in Canone, ante, & sub sumptione, & dum Subdiaconus pate-

nam tenet. 2. Si danda est benedictio, Diaconus ascendit, cochlear Celebranti stanti porrigit, postea thuribulum. *Nota* dum hoc porrigit, summitas Catenularum deponatur in manu sinistrâ ipsius Celebrantis per manum dexteram Diaconi, thuribulum autem in dexterâ. 3. Quandò incensatur solùm Venerabile, thus non benedicitur, ideoq; nec Diaconus dicit: *Benedicite Reverend: Pater*, sed simpliciter 3nâ vice iniicitur in thuribulum nil dicendo, neq; signando, secùs autem si cum Sacramento, incensetur simul altare atq; Celebrans. Si thurificatur Venerabile; in medio altaris super altiorem altaris gradum utroq; genuflexo 3plici ductu incensatur, cum profunda inclinatione ante & post. 4. Post benedictionem, Venerabile reponit Diaconus, descendit, thuribulum Celebranti porrigit.

5. A dextris Celebrantis stat Diaconus, â sinistris Subdiaconus, cum quibus dicit post antiphonam *Introibo* Psalmum *Judica me Deus*, postea Confessionem, alternatim. Manus ante pectus tenent junctas, pollyce dextro supra sinistrum posito,

ſito, quando pectus percutiunt, vel ſignant ſe, ſiniſtra infra pectus ponatur. Cum dicunt *tibi* & *te Pater* aliquantulum ſe convertunt ad Celebr. 6. ad *Aufer* aſcendunt cum Sacerdote hinc inde à lateribus, elevando paululùm albæ partem anteriorem Celebrantis, altare non oſculantur nec tangunt, ſicut Celebrans, ſed ſuo quiſq; loco cum Sacerdote genuflectit, & ſtatim ſurgit. Thuriferarius cum Ceremoniario accedit, Subdiacono ſtante à ſiniſtris Celebrantis, Diaconus naviculam tenet apertam, parùm inclinatus verſùs Celebrantem dicit: *Benedicite Reverend: Pater* & oſculatur cochlear, quòd tradit, & manum Celebrantis. Dimiſsâ Naviculâ, accipit thuribulum à Thurifeario & dat Celebranti, quô incenſante Diaconus cùm Subdiac: hinc inde aſſiſtunt, cum tranſeunt Crucem, flectunt, ſolô celebrante ſe cruci inclinante. Cuſſinum tenet thuriferarius. Finitâ incenſatione, celebrans thuribulum ad cornu Epiſtolæ Diacono reddit, à quô duplici ductu incenſatur ter; qui uno gradu deſcendit, (quod ſemper obſervet, ſi ſit ex-

positum Venerabile) versâ facie ad populum, dein ascendit. 7. Ductus in thurificatione sunt vel *simplices* vel non *simplices*. Modus in ea hic est observandus: sunt in thurificatione 29. incensationes; ter Crucem, vel Venerabile, incensat dein factâ reverentiâ reliquias à cornu Evangelii bino ductu simplici, factâ iterùm reverentiâ simili modo reliquias ex parte Epistolæ, quibus peractis factâ reverentiâ à medio altaris recedit; candelabra ter prout distribuuntur usq; ad cornu Epistolæ incensat, ubi demissâ manu thurificat partem altaris postremam inferiorem, mox superiorem, bisductô thuribulo; & conversus ad altare elevans manum incensat ejus planitiem ter ducens thuribulum lineâ transversali quasi per semicirculos usq; ad medium, ubi factâ Cruci reverentiâ, thurificat aliud latus altaris eô modô quô priùs, nisi quod incensando altare per semicirculos non procedat ad medium, sed in cornu Evangelii consistens, peractâ altaris incensatione, ejus frontem anteriorem triplici ductu ad medium usq; incensat, ubi factâ iterùm Cru-

ci reverentiâ reliquam partem frontis triplici ductu incensat usq; ad cornu Epistolæ ibiq; consistens à Diaconô incensatur, ita versus (si est Ssmum) pro ut supra dictum; cæterùm circa incensationem.

Observa: 1. Venerabile Celebrans incenset triplici ductu graviter & morosè, genuflexus in medio altaris. 2. Si nullus Episcopus aut Princeps major vel his superior adsit, Celebrans ter, Diaconus & Subdiaconus bis, Clerus uno ductu incensandus. 3. Si ex Capitulo majori sunt in stallis, post Celebrantem hi sunt per senium incensandi, postea Subdiaconus, tandem Diaconus à thuriferario incensatur. 4. Si plura quam tria vel pauciora fuerint candelabra triplici tamen ductu altare incensandum est. P. Lhoner.

8. Stantibus ad dexteram Celebrantis Diacono & post hunc Subdiacono in cornu Epistolæ, legitur à Celebr: Introitus, cum quibus postea ibidem consistens, dicit alternatim *Kyrie eleyson*. His finitis Celebrans pergit ad medium altaris, post quem unus post alterum à tergo, simul, & mini-

ministri; sic stantes usq; ad factam intonationem *Gloria in excelsis*, quâ, peractâ ambo genuflectunt, & accedunt consistentes se ad latera Celebrantis hinc inde, & simul cum eo recitant, Caputq; inclinant 1. ad *Adoramus te*, 2. *Gratias agimus*. 3. *Jesu Christe*. 4. *Suscipe deprecationem*. 5. *Jesu Christe*, in fine ad verba: *cum S. Spiritu* singnant se à fronte ad pectus cum Sacerdote, ad *Amen* jungunt manus & descendunt.

9. Cum dicitur *Dominus vobiscum*- (similiter quando dicitur *oratio*, *Præfatio*, *Pater noster*,) stant Diac: & Subd; unus post alium à tergô Celebrantis. 10. Circa finem ultimæ orationis Celebranti submissâ voce legenti *Graduale &c.* Diaconus ad dexteram assistit, Subdiaconus cum solita ceremonia missale recipit, factâ altari genuflexione in medio coram altari, habens à sinistris Ceremoniarium, qui eidem missale porrexit, accedit ad partem Epistolæ consistens infra gradus altaris & cantat Epistolam: quâ decantatâ factâ genuflexione ut ante, redit ad Celebrantem, & genuflexus osculatur ejus manum

&

& benedicitur (quod non fit in missa Defunct:) postea missale suum eidem à quo suscepit, reddit: quô reddito Missale Celebrantis accipit ex cornu Epistolæ, & defert ad cornu Evangelii sustinendo donec à Celebrante Evang: perlegatur: Diaconô interim librum ab eodem Ceremoniario suscipiente in medio altaris illud deponente, ac eidem Celebranti ad lectionem Evangelii assistente. 11. Lecto Evangelio, (quod in fine Celebrans non osculatur) idem Celebrans redit ad medium, Subdiaconus descendit infra gradus, qui post cum Diacono benedictionem incensi à Celebrante petit eô modô, quô supra dictum est: postea Diaconus ad medium altaris descendit genuflectens capite inclinatô dicit *Munda cor meum &c.* quô dictô & acceptô Missali ex altari accedit Celebrantem ad Cornu Epistolæ benedictionem petit dicens: *Jube Domne benedicere* Celebrans respondet; *Dominus sit in corde tuo & in labiis tuis ut dignè & competenter annunties Evangelium suum: In Nomine Patris & Filii ✝ & Spiritus Sancti, Amen.*

No-

Nota Si ſit præſens Epiſcopus proprius in Ecclêſia, ab ipſo ſolo toties quoties petenda eſt benedictio non à Celebrante, niſi ſit major illo ut vg Primas Regni, vel Legatus Apoſtolicus, vel etiam par, ſi alter Epiſcopus cum facultate L. O. celebret. Ipſe quoq; antè Celebrantem (eô modo quô hic dicitur) ante omnes incenſandus eſt.

Poſt benedictionem oſculatur Diaconus manum benedicentis, deindè vadit ad planum infra gradus altaris habens à ſiniſtris Subdiaconum & Ceremoniarium, ibìq; ſtat uſq; ad ſilentium chori: poſt quos ſtant à tergo ſimul Acolythi Thuriferarium inter ſe habentes. 12. Facto chori ſilentio vadit Diaconus ad Cantandum Evangelium hôc modo: conſiſtit ſe Subdiaconus ad Cornu Evangelii aperto librô Evangelii ad faciem & oculos Diaconi; à lateribus Subdiaconi ſtant hinc inde Acolythi cum Candelis accenſis, (in Miſſa Defunctorum abſq; candelis, & non niſi manibus junctis) ex oppoſito autem ejus ſtat Diaconus cantaturus, habens poſt tergum ſuum à ſiniſtris thuriferarium,

um, à dextris substitutum ejus (qui nobis hic Ceremoniarius est) prouti in Insigni Collegiata Varsaviensi, & alibi vocatur) qui suo tempore porrigat ipsi thuribulum. Dictô *Dominus vobiscum* (si Presbyteratum, vel saltim Diaconatum habeat) cum dicit *Initium* vel *Sequentia S. Evang:* signat librum in principio Evangelii solo pollice dexteræ, dein se in fronte, ore, & pectore: postea recepto thuribulo à Ceremoniario ter librum 1. in medio, 2. à dextris 3. à sinistris incensat simplici ductu. Celebrans tunc stat ad cornu Epistolæ versâ facie ad Evang: junctis manibus.

Nota 1. Ministri hi cum Evangelio sic se debent consistere ut terga non vertant Ssmo, Regi & Episcopo, si sunt præsentes.

Nota 2. Si in contextu Evangelii quod canitur à Diacono genuflectendum est, nec Diaconus, nec ejus ministri genuflectant, sed tantum cæteri audientes. Evangeliô finitô, initium ejus Subdiacono ostendit: quod postea defertur à Subdiacono Celebranti ad osculum: quod si est Rex aut Episcopus &c. defertur à di-

gnio-

gniori ex Clero, illis, ut osculentur. 13. Si est, caniturq; *Credo*, ad illud Diaconus cum Subdiacono ità accedunt Celebrantem sicut ad *Gloria*, quod cum illo recitant, & simul inclinant Capita ad verba 1. *Jesum Christum* 2. ad *Adoratur*: dum autem in chorô canitur: *Descendit*, descendit Celebrans, & in medio gradûs genuflectit, cum quo reliqui Ministri ad hæc verba: *Et incarnatus est ex Maria Virgine & homo factus est.*

Nota Si Celebrans sedeat cum ministris à cornu Epistolæ in sedibus collocatis, tempore *Credo*, sicuti & in *Gloria*, non genuflectit, sed sedendo profundè inclinatur ad illa verba cum ministris. Dùm verò est expositum Ssmum, tunc nec sedere expedit, nisi sit Episcopus.

Post illa verba Diaconus à Ceremoniario suscipit bursam, corporale depromit supra altare, bursam collocat, à parte Evangelii, si non est autem *Credo*, Subdiaconus ipse defert bursam simul cum Calyce porrigit Diacono, modo eô ut sequitur.

Q. 3. Quid ab Offertorio usq; ad Pater noster observandum?

℞. Sequentia 1. Ad: *Dominus vobiscum* Subdiaconus de Credentia affert calycem: Diaconus detegit, patenam & Hostiam cum debita reverentiâ Celebranti tradit; Subdiaconus calycem extergit, aquam tenet, donec finitâ oblatione hostiæ, versùs Celebrantem parùm inclinatus dicat: *Benedicite Reverend: Pater:* factâ benedictione infundit parum aquæ & tradit Diacono. Diaconus circumcirca, inet exteriùs purificatorio, si quæ guttulæ hæreant, extergit, dat eum Celebranti, cum quô postea dicit: *Offerimus tibi Domine calicem salutaris &c.* post quod, calicem repositum in altari pallâ tegit, Subdiacono adstanti ponit in dexterâ patenam velô coopertam (quod non fit in Missa Defunct:) Subdiaconus in medium planum descendit, ibiq; factâ genuflexione, stans, eam tenet usq; ad finem orationis Dominicæ. Dicto: *Veni Sanctificator.* Diaconus petit benedictionem thuris dicens *Benedicite &c.* Celebrans ponit in censum in thuribulo dicens: *Per intercessio-*

sionem Beati Michàëlis Archangeli stantis à dextris altaris incensi, incensum istud digne-tur Dominus bene✝dicere, & in odorem sua-vitatis accipere. Per Xtum Dominum no-strum, Amen. Acceptô thuribulo à Diacono, qui tenet dexterâ pedem calicis, ter ducit thuribulum super calicem & hostiam permodum ✝.in 1.dicit:*Incensum istud* in 2. *à te benedictum* in 3. *ascendat ad te Domine*: dein ter circâ calicem & hostiam, scilicet bis à dextra ad sinistram suam dicens: *& descendat super nos:* & semel à sinistra ad dexteram dicens: *Misericordia tua*: deindè incensat Crucem præmissâ inclinatione, postea altare (loco Crucis, Ssmum, si est expositum) cum incensat altare, recitat: *Dirigatur Domine oratiomea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis, ut non declinet cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis.* Librum interim tenet thuriferarius. Dùm reddit thuribulum Diacono, dicit: *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris & flammam æternæ charitatis A.*

Postea

Postea incensatur à Diacono Celebrans. Et demum ita incensandi sunt qui in choro sunt, prout supra dictum est sub *observa* 1. ante *Gloria*, post quos incensatur à Diacono Subdicanus, Diaconus à Thuriferario ut jam similiter dictum est: Interim Celebrans lavat manus (si sit Venerabile, tunc versâ facie ad pop: & extra altare) Acolythis aquam ministrantibus.

2. Post incensationem Diaconus antequàm consistat in suo loco superiori ante Subdiaconum flectit cum illo simul & resurgit: ad *Orate Fratres* dicunt: *Suscipiat:* quô dicto idem Diaconus præmissâ genuflexione ascendit ad Missale, Celebranti illud sublevat legendum, ostendit orationes, Præfationem, & vadit post tergum Celebr: quâ finita transit ad dexteram partem Celebrantis, ad sinistram vero accedit Subdiaconus & simul omnes inclinati dicunt *Sanctus*: postquod Subdiaconus descendit ad planum, Diaconus etenim redit ad Missale Celebranti sublevandum, Canonem ostendit, folia vertit, ad verba *Quam oblationem*, factâ genuflexione redit

ad dexteram Celebrantis ibiq; flectit. Hic etiam veniunt Ceremoniarius & Thuriferarius cum Thuribulo, ad incensandum Ssmum tempore elevationis, quod incensant ex cornu Epistolæ, ambo flectentes, sicut & Diaconus cum Subdiacono tunc debent genuflectere, ac fimbriam casulæ posteriorem parùm elevare. Sacerdote surgente Diaconus surgat & calycem detegat atq; tegat, flectente illo & ipse flectat. Absolutâ genuflexione redeat ad Missale. Ad verba: *Perquem hæc omnia*, factâ genuflexione in loco transit ad dexteram Celebrantis, suo tempore discooperit & cooperit calicem, semper cum illo flectens & resurgens, tum factâ genuflexione vadit retro Celebrantem ad suum locum. Nam supponitur quod ad illa verba *Perquem hæc omnia* venit Ceremoniarius ad sublevandum Celebranti Missale loco Diaconi.

Q. 4. Quid ab Oratione Dominica usq; ad finem observandum?

℟. Sequentia 1. *Per Pater noster* stant, ad verba *& dimitte nobis* flectunt in suis lo-

cis,

cis, ubi ſtabant, Diaconus & Subdiaconus, qui ambo accedunt ad dexteram Celebrantis, patenam Subd: tradit Diacono, qui eam abſtergit purificatorio, tradit Celebranti, & diſcooperit Calycem, flectens & ſurgens cum illo: Subdiaconus autem redditâ patenâ, in eodem locô flectit ſtatim, & iterùm deſcendit: cum Celebrans dicit *Pax Domini* iterùm genuflectit, accedit ad ſiniſtram Celebrantis & ſimul dicit inclinatus cum Diacono *Agnus Dei* dein redit ad tergum. 2. Diaconus à dextris flectit expectans pacem, ad finem 1mæ orationis ſurgit & cum Celebrante oſculatur altare non ponens ſuper illud manus & complectens Celebrantem, ita quidem ut ſiniſtram faciem ſiniſtræ faciei Celebrantis admoveat atq; ab eodem dicente *Pax tecum* accipit pacem reſpondens: *Et cum Spiritu tuo:* factâ genuflexione defert pacem Subdiacono, hic magis digno, & ſic uſq; ad ultimum in clero.

Nota tamen In choro exiſtentibus Prælatis 1mo defertur pax ex ea parte, in qua dignior & ſenior reperitur, demùm ex altera parte.

3. Interim Diaconus accedit ad Missale, & Subdiaconus ad dexteram Celebrantis (hac unicâ vice in Missa stat ad dexteram Celebrantis Subdiaconus solus) dicunt ambo inclinati cum Celebr: *Domine nòn sum dignus*, ad sumptionem profundè inclinati. Cum verò Celebrans post sumptionem Corporis aliquamdiû quievit in Meditatione Ssmi Sacramenti, Subdiaconus discooperit calicem dùm tempus est,
4. Subdiaconus ab Acolytho accipit vinum prò ablutione, & cum vinô prò purificatione, & suo tempore infundit. Si danda est Communio post 1mam infusionem Subdiaconus descendit in suum locum, Diaconus vadit ad dexteram Celebrantis, adaptat S. Communionem vel ex Ciborio extrahendo vel in Corporali existentem, etsi ipse Communicandus est cum Subdiacono, recitato priùs ab hôc à sinistris *Confiteor*, ambo flectunt, & Communicantur. Ad aliorum Communionem Diaconus semper ad sinistram Celebrantis assistit supponendo submentum patenam nè particulæ decidant. Facta

Com-

Communione Diaconus reponat in tabernaculô particulas, si indè eas extraxit cum debitis genuflexionibus. Post purificationem Calicis, Subdiaconus sumit velum & pallam, ac vadit ad cornu Evangelii ibi extergit calicem & plenè illum cooperit, quem reportat ad credentiam. 5. Diaconus interim reportat librum ad cornu Epistolæ, Communionem legendam ostendit Celebranti, & post, cum eo ad locum suum vadit. 6. Dum Celebrans dicit *Ite Missa est* vel: *Benedicamus Domino* respondet Diaconus: *Deogratias*: Præsente autem Ssmo Diaconus cantat *Ite Missa est* stans in cornu Evangelii, parum versùs ad cornu Epistolæ cum debitis genuflexionibus, deinde flexus cum cæteris Ministris accipit benedictionem. Ad ultimum Evangelium Diaconus & Subdiaconus assistunt Celebranti. 7. Finitis his, ad altare omnes genuflectunt, Diaconus Celebranti biretum porrigit, Diacono vero & Subdiacono reliqui à parte stantes Ministri reddunt, & tandem eo ordine quo egres-

egressi sunt, redeunt ad sacristiam. De Missa Solemni Deff: dicetur hoc sequenti.

§. IV.

Quæ sunt Observanda in Missa quæ absolvitur coram Prælato, vel si ei assistitur? & de aliis.

Prænoto Prælati ita sunt considerandi: *Cardinalis* ubiq; terrarum: *Patriarcha* & *Archi-Episcopus*, signanter Regni nostri *Primas*, in tota ipsorum Provincia aut Regno: *Nuntius* & *Legatus Apostolicus*, in locis suæ legationis: & *Episcopus*, in solâ suâ Diœcesi, non verò extra locum suæ Jurisdictionis existentes, per respectum ad Ceremonias taliter habendæ coram illis Missæ, considerandi. In quorum præsentia habens Missam vel assistens illis hæc observet: 1. Celebraturus, Prælatum expectat stans ex parte Epistolæ, venientem salutat profundâ inclinatione, vel si moris sit, mediâ genuflexione. 2. Prælatus auditurus est missam supra scabellum, vel in medio altaris, vel ex parte cornu Epistolæ, non Evangelii, quô eo-

dem

dem adveniente, Sacerdos à cornu Epi-ſtolæ abit ad medium altaris, & mox fa-ctâ Cruci reverentiâ deſcendit ad planum extra infimum gradum, non tamen in me-dio, ſed ex parte Evangelii, ibiq; ſtans expectat ſignum incipiendi, quô datô, Prælato primùm, tum vultu ad altare con-verſo etiam Cruci profunde ſe inclinat, & erectus incipit. 3. In *Confiteor* non di-cit *vobis fratres* ſed *tibi Reveren: Pater:* 4. Dicto *Oremus* ante *Aufer* inclinat ſe iterùm profunde Prælato, antequam in plano medium accedat altaris, dicens *Aufer*, a-ſcendit gradus. 5. Finito Evangelio non oſculatur librum, nec dicit *Per Evangelica dicta:* ſed liber per alium, apertus, de-fertur deoſculandus à Prælato, interim Celebrans debet expectare. 6. Dictâ prima oratione poſt *Agnus Dei* defertur ab aliquo inſtrumentum pacis ad oſculum Prælati, cum debita reverentiâ poſt o-ſculum exhibenda. 7. Antequam det be-nedictionem dicto *Benedicat vos:* conver-ſus ad Prælatum, ei profunde ſe inclinat, ac ſi potens ab eô licentiam benedicendi

populum, benedicit parum à parte, non ibi, ubi Prælatus. 8. Post Evang: ultimum conversus ad Prælatum adhùc stans in planô ad cornu Evangelii facit illi profundam reverentiam, & eô discedente aut remanente, revertitur ad sacristiam. Principibus sæcularibus hæ Ceremoniæ adhibendæ sunt non perse, sed ex tolerantia, Instrumentum pacis & Missale (non tamen Missæ, sed aliud) deosculandum offerri, & reverentia in accessu, ac recessu fieri potest, sicuti *& patena* post Missam licet solis Fundatoribus ac Benefactoribus Ecclesiarum ad osculum danda, quia tamen ex Principibus & Senatoribus vix est aliquis qui non sit Fundator aut Ecclesiæ Benefactor in se vel in Antecessoribus suis, ideò illis non est deneganda.

Q. 1. Sunt ne aliqua addenda quæ desiderantur ad complementum hujus, & quæ præcessit, doctrinæ?

R. 1. Sunt sequentia: 1. In Missa solemni Incensum non à Celebrante sed Prælato præsente benedicendum est, qui illud & ponit in thuribulo. 2. Postquam

Ce-

Celebrans dixit *Misereatur*, versùs Prælatum sese convertens faciensq; reverentiam ab eo accipit absolutionem & iterùm pergit. 3. Nec Subdiacono post Epistolam nec Diacono antè Evangelium benedicit Celebrans, sed utrumq; hoc refertur ad Prælatum, qui solus etiam post Evangelium initium ejus osculatur & â Subdiacono oblatum, & à Diacono vel alio digniori incensatur. 4. Ad offertorium urceolus aquæ versùs Prælatum à Subdiacono tenetur, ut aquam benedicat. 5. Acceptam pacem à Celebrante Diaconus defert sive per instrumentum sive aliter ut est moris: vide Lhoner p.4. Titt: 6. & alios.

℟.2. Qui in Missa privata assistit Prælato, omnia benè præparet, paramenta (quæ de altari, propter illum solùm, accipit) calicem, Missam diei cum orationibus commemoratt: si sunt, &c. 2. Inter induendum ceremoniale Episcoporum tenetur ad recitandas ex eo consvetas orationes (si est Episcopus) quare hoc ipsum Ceremoniale à quolibet

Semi-

Seminarista perspiciendum à calce usq; ad calcem, ut sciat quid & ubi in illo continetur. In Ministrantura assistat semper à latere sinistro stans. Sine amula id est pileolocoronæ per totam Missam assistat. 3. Post *Indulgentiam* manipulus tunc primùm illi porrigitur. 4. Post *Aufer*, deosculandum porrigitur ex cornu Evangelii initium Evangelii, quæ 2.nota de Episcop:tantũ.5.Assistens legenda ostendit, folia si opus est vertit, calicem & reliqua porrigit, calicem cooperit & discooperit, quod tamen Clericus non præsumat, sicut nec intùs purificatorio tergat, nam hoc munus majoris Ordinis est, qui propiùs accessit ad sacrificium.

℞. 3. Quod attinet Missam solemnem Defunctorum observentur in illa,quædam, quæ dicta sunt § præcedenti,quædam autem ut hic dicuntur. 1. Acolythi non portant luminaria. 2. Nec thuribulum cum navicula. 3. Altare ad introitum non incensatur. 4. Subdiaconus finitâ Epistolâ non osculatur manum

num

num Celebrantis nec benedicitur Diaconus ad canendum Evangelium sicut & Subdiac: 5. Acolythi non portant luminaria ad Evangelium neq; thuribulum, stant tamen penes Subdiaconum tenentem Evang: librum. 6. Non incensatur liber (quem tamen, sicut & se, signat pollice) nec defertur ad osculum. 7. Oblata & altare more solito incensantur. 8. Solus Celebrans incensatur & non alii ministri. 9. Subdiaconus non tenet patenam post Celebrantem, sed tempore elevationis genuflexus in cornu Epistolæ hostiam & calicem dùm elevantur, trino ductu incensat. 10. Non datur *pax*.

Q. 2. Quoniam post Missam solemnem de Requiem sæpe sequitur Corporis sepultura, quæ igitur circa illam, & Absolutionem sunt scienda?

℞. 1. Sequentia: I Corpus sepeliendum saltim post 12. horas ab obitu, qui autem repentè exhalarunt animam non nisi post 24. horas ab obitu sepeliri debent. II. Omninò infra superficiem ter-

ræ sepeliri debent non autem in murô parietis ex Constit: Pii V. in Bulla *Cum primum*. Item non licet sub altari sepeliri aut ejus scabello, sed inter scabellum altaris & ostium sepulchri, debet mediare ad minùs 3. cubitorum locus. Ita Can: *Præcipiendum*, 13. q. 2. III. Sepoliri non possunt: 1. Excomunicati majori excom: sic mortui. 2. Hæretici & eorum fautores, receptores, ac defensores. 3. Non baptisati, ut sunt Pagani, Judæi, & infantes absq; baptismo extincti etiamsi fidelium Parentum fuerint. 4. Negligentes Comm: & Confess: Paschalem. 5. Decimas non reddentes. 6. in duello decedentes. 7. Seipsos occidentes. 8. Religiosi proprietarii. 9. Usurarii publici. 10. Omnes qui in apertô peccato mortali absq; pœnitentia mori certò sciantur. Omnes isti inquàm non sunt sepeliendi si in morte non pænituerunt. *Can: 6. de Consecr: Eccl:* Sacerdosq; tales sepeliens ipsofacto Excommunicationem incurrit ut habetur in Clem: 1. de Hæreticis præterquàm si

sepe-

sepeliat infantem sine baptismo mortuum aut in peccato mortali, quia pro his prædicta pæna ibi non exprimitur, odiosa autem restringenda. IV. Exhumari Corpus licitè non potest nisi in his casibus. 1. Quandò tantùm ad tempus depositum est, non sepultum in perpetuum. 2. Dùm exigit renovatio Capellæ &c. 3. Quando Corpus sepultum est contra voluntatem testatoris, tunc enim debet exhumari & reddi illi Ecclesiæ pro quâ est testamentum vel testes. ex Decr: S. C. Epis: 31. 8bris 1640. In aliis casibus licitè exhumari non possunt Corpora sine expresso Episcopi consensu, etiamsi Judex sæcularis pro recognitione corporis velit illius exhumationem, quare tunc recurrendum est ad Epis: Ita S. C. E. 11. 7bris 1643.

℟. 2. Circa absolutionem seu Conductum minorem scienda sunt sequentia. I. Corpus Sacerdotis debet poni Capite versus Altare, Laici verò pedibus ad altare, capite verò, versùs ostium templi. II. Præsente cadavere, antequàm

into-

intonetur *Libera me Domine:* Sacerdos solita praxi dicet: *Non intres in Judicium* prout est in Agenda. III. Si defunctus sit Fæmina, nihilominus dicitur in illa precatione: *cum servo tuo Domine* nec debet propterea dici cum serva vel famula tua. S.R.C. 31. Aug: 1697.

IV. Oratio illa dicenda est quæ fuit in missa pro illo defuncto specialis, ita Merati. V. Dicto seu cantato *Requiescant* (in plurali) *in pace:* subjungi debet: *anima ejus & omnium defunctorum &c.* sed in die OO Fidelium nil est superaddendum S.R.C. 2. Decem: 1684. VI. Incensato vel asperso dextro latere (hoc utrumq; debet fieri) genuflectet coram tabernaculo si aderit, alias Cruci profunde inclinabitur eundo & redeundo, nam Cruci, etiam post genuflexionem coram tabernaculo, non omittenda tunc etiam inclinatio, quam tenet Subdiaconus, Diaconus verò assistens & tenens dexteram fimbriam pluvialis debet tunc genuflectere etiam coram Cruce. *Ex Cerem. Episc.* VII. Si in aliquo Alta-

ri fiat tunc Elevatio non debet genuflectere si in latere feretri thurificat vel aspergit. Cætera de absolutione facienda ad feretrum, vide Rubricas Missalis circa finem n.4. vel in Missali Defunctorum circa finem.

§ V.

Explicantur Ceremoniæ requisitorum ad missam & vestimentorum Sacerdotis mistæ, eorumq;, quoad Colores.

Nota Per ordinem ad vitam & Passionem Xti explicatio aliquorum hic fiet, per hoc enim sacrificium *incruentum*, repræsentatur illud cruentum, quod in ara Crucis Christus Sacerdos summus æterno Patri obtulit, lege *Triden: Sess 22. C. 1.* Imo ipse Christus offerri illud præcepit in memoriam passionis & mortis suæ Lucæ 22. quare.

Q. Quæ sunt requisita sacrificii missæ & quæ eorum significatio magis propria?

℟. 1. Requiruntur hæc atq; significant. *1. Locus Sacer:* ad significandam hujus sacrificii longè antiquô excellentioris, reverentiam. In oratoriis privatis,

in quibus ex privilegio Apostolico conceditur celebrandi licentia, celebrari non potest: *in Nativitate Domini, Epiphania, ipso die Paschatis, vel Pentec. in Annuntiatione & Assumptione B.V.M. SS. Apostolorum Petri & Pauli & OO.SS.* ita declaravit S.R.C. 1607. Sub nomine tamen Domûs privatæ non comprehenditur Palatium Episcopi: *Gavantus.* 2. *Altare consecratum,* & quale, supra dictum est: in quo Christus Deo Patri offertur. *Significat montem Calvariæ.* 3. *Crucifixi* imago ad Missam: *Memoriam passionis signat.* 4. *Luminaria* duo: indicant, *Christum lucem mundi.* Joan: 12. v. 46. 5. *Calix* argenteus intùs deauratus, consecratus: significat *calicem Passionis* de quô Christus Math: 26. v. 39. *Transeat à me calix iste.* 6. *Purificatorium* idem est ac *sudarium Veronicæ.* Durandus. 7. *Patena* significat *Lapidem sepulchri.* 8. *Palla* benedicta, proponit *Sudarium* quod fuit in sepulchro super faciem Christi. 9. *Velum,* symbolizat illud *Velum templi,* quod à summo usq; deorsum scissum fuit in morte Chri-

Christi. Marci *15. v. 38.* *10. Corporale* benedictum & *Mappæ* altaris cum 3tiâ superiore benedicta signant *Syndonem* & *linteamina* quibus Christi Corpus fuit involutum: *Joan: 19. v. 40.* *11. Antipendium* denotat *tunicam Xti*, quâ in flagellatione & Crucifixione exutus fuit, & propterea in die Parasceves ab altaribus removentur. Gradus altaris significant virtutes, quibus ad Xtum itur: Hugo vict. 12. *Panis & Vinum*, referunt apparatum *Cœnæ* Domini. 13. *Sacerdos* Vices Xti, *Minister* vices populi agit. 14. *Missale* significat librum vitæ. Ista 12. adesse debent ut licite consecretur; Panis cum vinô, & legitimè ordinatus Sacerdos, ut valide. *Sacerdos* ita dictus est, quasi *Sacra dans* nam docere debet verbo sacro, ducere exemplo Sancto, Sanctus esse & sacra dare aliis, ut sancti fiant, prout Deus præcipit Levit: 21. v. 6. *Sacerdotes Domini incensum & panes offerunt Deo suo, & ideo Sancti erunt*, & iterum v. 8. *sint ergo Sancti, quia ego Sanctus sum.*

Q. 2. Præter illa enumerata requiruntur & vestimenta Sacerdotis, minora ac

majora, quæ ſunt,& ſignificant. 1. *Amictus* ſeu *Humerale*, ſignificat *Velamen*, quo Judæi velaverunt faciem Chriſti cum juberent prophætiſare quis eum percuſſit *Lucæ 22. v. 64.* 2. *Tunica linea* ſeu: *Alba*,indicat *veſtem albam*, quâ Xtus tanquàm ſtultus indutus fuit ab Herode,ac illuſus. *Lucæ 23. v. 21.* 3. *Cingulum* repræſentat funes & virgas,quibus Chriſtus in horto ligatus, & poſtea ad columnam flagellatus fuit. 4. *Manipulus* ſignat *vincula manuum Xti*, quibus per Urbem Jeroſolymæ tanquàm homo nefarius ductus raptatuſq; fuit. *Joan: 18. v. 12.* 5. *Stola* ſignificat ligamina, quibus ad collum ligatus, & in bajulatione Crucis, trahebatur. 6. *Planeta* ſeu *Caſula* repræſentat veſtem purpuream, in quâ ut Rex coram Pilato fuit illuſus *Joan: 19. v. 5.* 7. *Corona ſpinea* in vertice Capitis Sacerdotalis præfiguratur.

Et hæ ſunt ſignificationes Allegoricæ per Ordinem ad vitam & Paſſionem ac mortem Chriſti, Tropologicas vero & Anagogicas tradit *Sennei Examen ordinandorum*, ac aliorum & Alibelli pro examine conſcripti, quos legendos ſvadeo.

℞. 3. Requiritur Color vestimentorum qui est 5plex: albus, ruber, viridis, violaceus, & niger. Porro.

Color albus significat 1. Puritatem, ac vitæ innocentiam; hinc congruit festis SS. Confessorum, Viduarum, Virginumq; non Martyrum. 2. Gloriam & gaudium, & ideo in festis Xti & B. V. M. usurpatur. *Color ruber:* denotat. 1. Crucem & effusionem sanguinis Xti, & hinc in festis S.Crucis adhibetur: 2. Fortitudinem in passione pro Xto, & hinc festis Ss. Martyrum competit. 3. Docet fervorem, quia accedit ad colorem ignis, & hinc de S. Spiritu adhibetur. *Viridis:* Hôc colore utitur Ecclesia ab octava Epiphaniæ usq; ad Septuagesimam, & ab octavâ Pentecostês usq; ad Adventum in Officio de tempore. In virore designatur spes, sicut viror in agris spem messis promittit, quæ spes idcircò prædictis temporibus frequenter est exercenda, ut memor sit Sacerdos, quod sit peregrinus & advena, & spem suam in Xto habeat ad vitam æternam. *Violaceus:* quasi pallidus & lividus, qui ex carnis maceratione & ex afflictione consurgit.

Designat dies pænitentiæ ac jejunii, carnis macerationi designatos, propterea in illis temporibus utitur illô Ecclesia in officio de tempore, ut sunt: Adventus, Quadragesima, vigiliæ, & Quatuor Tempora. *Niger* luctum designat & est proprius mortis, quæ nobis aufert lucem, & in tenebras sepulchri deturbat: hinc adhibetur in officiis Defunctorum.

Observa 1. Adhibere vestes Sacerdotales, luminaria, thuribula, non est inventum novum, sed jam erant in veteri testamento, tanquam figuræ prò novô præceptæ. Sic vestes Sacerdotales vide Exodi 38. Ezech: 44. Thuribula, Candelabra, Exodi 23. & 25. In novo testamento has vestes pro sacrificio Missæ ordinavit Stephanus 1. Papa, circa annum 257. Xti, qui etiam præcepit ut vestimenta & instrumenta sint benedicta.

Observa 2. Præter præmissa sparsim in hac Instructione de Missa, lege Missale de ordine Missæ: quomodò hæc absolvenda est: disce memoriter dicenda memoriter, ac ritus ibidem expressos considera atq; ad apicem ultimum implere addiscas.

Ob-

Observa 3. Plura sunt quæ desiderantur ad pleniorem notitiam circa missam, uti: quô loco & tempore, ac quali dispositione Sacerdotis, absolvenda: quæ natura, quæ partes ac essentia, finis fructus, effectus sacrificii Missæ? quæ materia & forma ejus, de quibus consule Theologos morales ac libellos concinnè conscriptos *P. Sennei*, & cui titulus: *Panis quotidianus Juventutis sacræ P. Pikulski Ord: S. Francisci Seraphici:* aliosq; plurimos, quibus nostrum sæculum abundat. Ego vero hic notitiâ Tyronibus Seminaristis conpetenti prodesse volui, non ultra progressus, ne forte plura si subiicerem, causa essem persvasionis vanæ, quasi vero omnia jam hic in compendio exhausta essent. Per quod desides efficerem, ad authores Theologos perscrutandos, aliosq; de ritibus scribentes, legendos: ut sunt: *Gavantus*, *Merati*, *Hagerer* cum suo libello *Ritus exactus servandus in Celebratione Missæ* intitulato. Modo jam sit.

INSTRUCTIO VI.

De Officio Divino seu Horis Canonicis.

Præsens Instructio 6. §§. absolvetur. 1mo agetur de Breviario & Horis Canonicis in genere. 2. De Differentiis officii Divini. 3. De tabula Concurrentiæ & occurentiæ, ac Translatione festorum. 4. De Ritu proprio singularum partium officii Divini. 5. De licitâ Horarum recitatione & Decretis non nullis hanc materiam concernentibus. 6. De devotâ officii Divini recitatione, ritu in illa servando, ac de Vesperis solemniter celebrandis.

§ I.

De Breviario & Horis Canonicis in genere.

Breviarium sic dictum est, quod illud sit breve compendium S. Scripturæ, in illo enim veteris & novi testamenti Scriptura breviter continetur, ab aliis vocatur *Orarium* quod ex illo orare soleant in Sacris ordinibus constituti, aut aliæ Personæ Deo consecratæ ad servitium. *Romanum*, quod juxta ritum Romanæ Ecclesiæ. Porro *Breviarium* dividitur communiter in 8. partes: 1. Continet Calendarium. 2. Ru-

Rubricas generales & particulares Bre-
viarii. 3. Tabulam concurrentiæ & ocur-
rentiæ feſtorum. 4. Pſalterium ſeu Pſal-
mos in totam hebdomadam diſpoſitos.
5. Proprium de tempore, 6. Proprium
Sanctorum. 7. Commune Sanctorum.
8. Deniq; officium B.V.M. in Sabbatho,
& parvum ejuſdem, officium Defuncto-
rum, Pſalmos Pænitentiales, Gradualeſq;
Litanias OO.SS. cum ſuis ℣. ℟. & oratio-
nibus. Ordinem Commendationis animæ,
benedictionem menſæ, Itinerarium Cle-
ricorum. Superadduntur Breviario no-
ſtro adhûc quaſi 2. partes. In 1ma ſunt
officia ad libitum ſeu de Sanctis ſpeciali-
ter ab aliquo regno colendis: in 2, De Pa-
tronis regni Poloniæ ac regni Sveciæ.
Hanc doctrinam ad praxim maturè de-
ducas, Breviarium ſumas, relegas, & per
partes perſpice ac lege, ut ſcias practice,
quâ parte quid continetur.

Nota quæ dicta ſunt de *Rubrica* Inſtructi-
one præcedenti ubi de Miſſa, idem hic pro-
portionaliter applica, eadem relegendo.

Horæ Canonicæ dictæ ſunt ideo quod
ſint ſtatuæ horis diurnis & nocturnis ex

Ss. Canonum decreto ab Ecclesiasticis Personis nomine Ecclesiæ ad Deum persolvendæ. Sunt autem 7. totidem mysteria Passionis Dominicæ denotantes prout his versibus explicantur:

Hæc sunt Septenis propter quæ psallimus Horis:
Matutina ligat Xtum qui crimina solvit,
Prima replet sputis, causam dat *Tertia* mortis.
Sexta Cruci nectit, latus ejus *Nona* bipartit,
Vespera deponit; tumulo *completa* reponit.

Quæ horæ 7, sic numerandæ 1. Matutinum cum Laudibus. 2. Prima, 3. Tertia, 4. Sexta, 5. Nona. 6. Vesperæ. 7. Completorium.

§ II.

De Differentiis Divini officii.

Officium Divinum sic dictum est quod illud nomine Ecclesiæ absolvens Deum pro objecto oris sui, mentis, & cordis habeat, & quòd illo occupatus, Divinis negotiis vacare dicitur, quia rem agit Divinam nam Nomine populi fidelis Deum exorat.

Q. 1. Quotuplex est officium Divinum?

℞. Est multiplex, vel enim est *2plex* aut *semidupl:* vel *simplex* vel *Dominicale* aut *feria-*

ria-

riale. vel de *vigilia* vel de *octava* vel de *B. V. M. in Sabbatho.* Fusiùs de his agit Breviarium, quantùm verò necesse est scire Tyroni Seminaristæ, per sequentes hic Quæstiones instruetur.

Q. 2. Quid & quotuplex est officium D. & quæ differentia est inter 2plicia?

℞. 1. Illud *2plx* est in quô antiphonæ ubivis, antè & post Psalmos, dicuntur integræ, excipe Horas, (minores scilicet) cum Completorio in quibus tantùm initiantur antiphonæ semper. Seu quandò in Calendario vel Directorio exprimitur hoc verbum: *Duplex.*

℞. 2. Quatuor sunt species 2plicium festorum. *Primæ Classis,* in quibus nulla fit commem: de simplici. 2. *Clasis* quæ eam admittunt saltim in laudibus ut infra in ℞. 3. dicetur. *Duplex majus* & *Duplex minus* sive per annum. Festorum 1. Class: & 2dæ, *Duplicium majorum,* est Cathalogus à principio Breviarii, quem annota in memoria ex eodem. His festis superadduntur alia in propriis Diæcesibus ut in Diæcesi Vilnensi, & in Regno Poloniæ S. Stanisl: Epis: M. S. Stanislai Kostka, S. Casi-

miri

miri 1. Class: &c. Quæ autem in præfatis 3bus Sortibus non comprehenduntur, censentur esse *2plicia per annum.* *Nota:* Festum de Sancto cujus reliquia habetur authentica insignis, scilicet Caput, brachium aut crus vel illa, in quâ passus est Martyrium, & non parva, atq; ab Ordinariis legitimè recognita, & approbata, celebrandum est ritu duplici. S. R. C. anno 1602. 25. Novembr:

℞. 3. *In 2plicibus 1. Class:* nulla fit commemor: nisi de octava Nativitatis, Epiphaniæ, Corporis Xti, de die octavâ, Dominica, & feriâ majore, occurrentibus & concurrentibus. Item de *2plicibus* 1. class: minùs dignis, & Duplicibus 2dæ classis concurrentibus in 1mis & 2dis vesperis: de Duplicibus verò aliis, & semiduplicibus in 2dis tantum. *In Duplicibus 2. classis* præterea fit & commemoratio vigiliæ & simplicis, si occurrant, in Laudibus; de 2plici quôcunq; ac Dominicâ 1mæ & 2dæ classis in 1mis vesperis; de festô quocunq; minùs dignô in 2dis vesperis concurrentibus; Item de die infrà octavam, si sequente die de eâ fieri debet officium. Item

2pli-

2plicia 1mæ claſſis præferuntur 2plicibus 2dæ claſſis. *Duplicia majora* admittunt omnis generis commemorationes, differunt per hoc à 2plicibus minoribus quod his præferantur, & in 1mo nocturno Lectiones habeant proprias vel ex communi Sanctorum, non autem de ſcriptura occurrente.

Q. 3. Quæ de Officio Dominicæ obſervanda?

℞. Sequentia. 1. Dominicæ aliæ ſunt 1. Claſſ: aliæ 2dæ, aliæ communes ſeu *currentes per annum* vocatæ. 1. *Claſſis* quæ & majores aut etiam privilegiatæ, ut nulli alteri feſto etiam Patroni, cedant: & hæ ſunt: *1. Adventûs. 1. Quadrageſimæ, Paſſionis, Palmarum, Paſchæ. In Albis. Pentecoſtes, & Trinitatis. 2dæ* Claſſis ſunt novem, iſtæ nunquam etiam omittuntur, niſi occurrentibus his 3bus: Patrono, Titulari Eccleſiæ, aut ejuſdem Dedicatione, quo caſu fit commemoratio earum: & hæ ſunt: *2da, 3tia & 4ta Adventûs. Septuageſimæ, Sexageſimæ, Quinquageſimæ, 2da, 3tia, 4ta, Quadrageſimæ.* De reliquis Dominicis per annum fit tantum commemoratio ſi in illis cadat feſtum 2plx. 2. omnes Dominicæ

nicæ ritu *Semiduplici* celebrantur etiam *1mæ*, & *2dæ Classis*, cuilibet tamen festo semiduplici præferuntur, quia festa Domini sunt: *Excipe* Dominicas: *Resurrectionis*, *In Albis*, *Pentecostês*, & *SS. Trinitatis* quæ ritu 2plici celebrantur. 3. Dominica *1ma Mensis* vocatur illa, quæ est proximior primæ diei Mensis. Sic E.G. si 1ma dies mensis sit feria 2da, aut feria 3tia, vel feria 4ta, Dominica antecedens, est 1ma; si 1ma dies mensis sit in feria 5ta, 6ta vel Sabbatho, 1ma mensis Dominica, erit Dominica infra eos sequens. Prima Dominica Adventûs est, quæ venit vel in ipso festo S. Andreæ vel illi proximior est. 4. Dominicæ vacantes sunt illæ, in quibus nec fit, nec fieri potest officium. 5. Dominicæ impeditæ, quales solent esse, quæ non possunt ante Septuagesimam & Adventum celebrari, celebrandæ sunt in Sabbato ipsam præcedente non impedito 9. lectionum officio, alioquin in alia immediate præcedente feria vel festo simplici essent celebrandæ, quo casu fit officium de feria & leguntur 3. Lectiones de Homilia Dominicæ: ac in *Laudibus* dicitur

Anti-

Antiphona ad *Benedictus* cum oratione ex Dominica præfata cum commem: ſimplicis, ſi tunc eſt. Quodſi tota hebdomada eſſet impedita officiis 9. Lectionum etiam translatis, tunc in Sabbatho legatur lectio de Homilia Dominicæ, & fiat commemoratio ejuſdem in laudibus tantùm cum Antiphona & oratione propriâ. Quantum verò ad apellationes Dominicarum cur ſic & non aliter nonnullæ vocitentur, libuit hic ex Gavanto & Merati ſequentia annotare.

Septuageſima dicitur à curſu 70. dierum, qui decurrunt in Sabbatho Dominicæ in Albis, ut recolamus 70. annos Captivitatis Babylonicæ & noſtræ quæ in Septennio hujus vitæ tranſigitur, & finitur in Sabbatho id eſt requie.

Sexageſima continet dies 60. uſq; ad Feriam 4tam Paſchæ, ut per 6. quaſi dies, quibus Deus operatus eſt in creatione mundi, & nos operemur bonum juxta 10. præcepta legis.

Quinquageſima conſtat diebus 50. ad diem Paſchæ: ut per 5. ſenſus, Decalogo obſervato Jubilæum remiſſionis conſequamur

in

in Paschate. Quinquagenarius enim numerus Jubilæi est.

Quadragesima currit usq; ad cænam Dni & Pascha per dies 40. ut virtus Decalogi per 4. Evangelia impleatur. Et hic est sensus Tropologicus apellationis Dominicarum.

In sensu autem proprio & quasi literali à numero dierum jejunii, Dominicæ præcedentes ita apellatæ sunt. Nam Quadragesima habet 42. dies abstinentiæ à Carnibus, & Dominica 3tia quæ præcedit 1mam Quadragesimæ vocatur *Septuagesima*, eodemq; retrogrado modo Quinquagesima & Sexagesima appellatur ob rationes jejunii quod apud antiquos à Septuagesima inchoabatur. Græci enim primi fuerunt qui à Septuagesima, Quadragesimæ exordium duxerunt, quia non jejunabant Feria 5tâ, neq; Sabbatho, neq; Dominicâ, ideoq; ut tres prædictos dies resarcirent jejunio, anticipabant Quadragesimam tribus Hebdomadis. Ad imitationem Græcorum, invecta est Romæ Septuagesima saltim in officio & Missa, & idcirco 3bus Hebdomadis anticipatus est Quadragesimæ ritus.

Q. 4.

Q. 4. Quæ sunt officia Semiduplicia & quô differunt à Duplicibus & simplicibus?

℞. 1. *Semi 2plicia* vocantur quod minore solemnitate quam 2plicia celebrantur, & Antiphonæ ante Psalmos initiantur tantum; sunt autem semiduplicia festa: 1. omnes Dominicæ per annum. 2. Illa festa quibus in Calend: vel Directorio est particula *Semidupl:* apposita. 3. Dies infra octavam (excipe 2dam & 3tiam diem Paschæ ac Pentecostês) quæ dies infra octavam, tam Dominicis, quam semiduplicibus, quæ non sunt translata ultra primum diem, regulariter cedunt. Excipe dies infra octavam privilegiatam. 4. *Semidupl:* sunt: Vigilia Epiph: Pentecostês, cum præcedente feria 6ta. 5. Si concedatur officium de Sancto, cujus non insignis Reliquia habetur. 6. Inventiones & translationes Patronorum non principalium, nam principalium celebrantur ritu 2plici.

℞. 2. Differunt semiduplicia à *2plicibus* 1. in *Duplicibus* Antiphonæ duplicantur. 2. *suffragia* in Laudibus & vesperis atq; *preces* non dicuntur ut dicuntur in semidupl:

non

non infra octavam. Excipe vigiliam Epiphan, feriam 6tam, & Sabbatum post octavam Ascensionis, quæ licet sint *semiduplicia*, tamen nec *suffragia* SS. nec *preces* habent. Cætera de his vide in Rubro Breviarii.

℞. 3. *Semiduplicia* differunt per hoc à *simplicibus* festis, quia, semiduplicia 9. lectiones habent, tres nocturnos, 1mas & 2das exigunt vesperas: simplicia unum tantum habent nocturnum, tres Lectiones, & primas Vesperas solùm à Capitulo, nullas vero habent 2das si sint festa Sanctorum, vel secundas tantum & non primas, ut feriæ, si sequenti die nullum officium occurrat.

Q. 5. Quæ de officio simplici observanda?

℞. 1. *Simplicia* sic dicuntur, quia simplici seu minus solemni ritu celebrantur. Horum sunt 5. species. *1. Feriæ majores & privilegiatæ*, quales sunt feriæ Adventûs & Quadragesimæ, de quibus commemoratio fieri debet tam in Vesperis, quàm in Laudibus, quocunq; festo occurrente. Et feria 2da *Rogationum*, atq; *Quatuor Temporum*, de quibus in solis Laudibus est facienda commemoratio si tunc festum aliquod

quod

quod cadat. 2. *Vigiliæ Sanctorum* quæ etiam ritu ſimplici celebrantur & omnibus poſterioribus ſimplicibus in occurſu præferuntur. Si celebrari nonpoſſunt propter nobilius feſtum, habent nonam lectionem & commemorationem in laudibus, niſi venerint in Adventu, Quadrageſima, vel feriis Quat: Temporum, tunc enim de illis nil fit in officio, ſed tantum commemoratio in Miſſa, poſt commemorationem feriæ. 3. *Dies B. V. Mariæ in Sabbatho*, qui ſub ritu permodùm feſti ſimplicis celebrandùs eſt 4. *Feſta Sanctorum* quæ habent in Calendario & Directorio vocem *ſimplex* additam. 5. Deniq;

5. Deniq; *Feriæ minores* quales ſunt omnes dies in quibus nullum ex ſupradictis feſtis cadit.

Nota de Feriis. Cum horrerent Fideles Xtiani, nominare dies à Diis gentium ut: ſunt dies ſolis, dies lunæ, Martis, Mercurii, Veneris &c. vel à *Sabbatho* more Judaico dicere primam, ſecundam Sabbathi: ideo *Dominicam diem* quaſi feriam ımam ſupponendo, ſequentes à Domini-

câ dies, *ferias* nominarunt, 2dam, 3tiam, 4tam &c. retento tantum nomine *Sabbathi* ob reverentiam ejus diei, quem Deus sub initio mundi conditi instituit, ut in Lectionibus Breviarii de S. Sylvestro ultima die xbris habemus.

℟. 2. Officium de simplici sic est absolvendum. Si officium præcedens erat de feria incipit festum simplex à Capitulo, si vero concurrat festum 9. Lectionum, fit de simplici Crastino tantùm commemoratio, in vesp: Invitatorium in matutino & *Hymnus* accipitur de Communi talis Sancti, id est si Martyr est, de Communi unius Martyris, si Confessor de Communi Confess. Deinde nocturnus cum Antiphonis recitatur ex feria currenti quæ est in Psalterio, versus de Sancto: Lectiones de Scriptura occurrente, una vel duæ, cæter: de Sancto, propri: vel commun: Laudes & Horæ dicuntur uti in semiduplici usq; ad 2das vesperas, in quibus cessat officium de simplici ut supra dictum.

Q. 6.

Q. 6. Quæ de Vigilia & Feriis obſervanda?

R. *Ad 1mum,* Sequentia: 1. Illa feria *Vigilia* vocatur, quæ præcedit magnum aliquod, & ſolemne feſtum. 2. Ordinariè totum officium dicitur de feria currente, præterquam Lectiones, quæ dicuntur de Homilia ex eadem vigilia: *Excipe* vigiliam Nativitatis Dni, & Epiphaniæ, quæ habent officium ſpeciale. 3. Si vigilia occurrat in feſto 9. Lectionum, tunc fit officium de feſto, cum 9na lectione de Homilia, & cum commemoratione vigiliæ in Laudibus. Antiphona & Verſus ſumuntur ex laudibus feriæ currentis. 4. Si in Dominica occurrat vigilia, prævenitur in Sabbatho. *Excipe* prædictas ſuperiùs vigilias Nativitatis & Epiphaniæ. 5. Si vigilia occurrat in feria majori, omittitur omninò officium de vigilia, ita, ut nec fiat commemoratio de illa. Excipe vigiliam Epiphaniæ, de qua ſemper fit commemoratio etiam in quocunq; feſto. 6. Si vigilia occurrat in feſto 1.claſſis non habet commemorationem, jejunium anticipandum eſt ante feſtum 1mæ claſſis *Ar-*

nandus: officium autem, ait idem, non esset anticipandum, separari namq; possun officium & jejunium vigiliæ. Extat circa hoc recens aliquod Decretum S.R.C. emanatum 8. 7bris 1706, & confirmatum â Clemente XI. die 2da Octob: eodem anno.

℟. Ad 2dum. *Feriale*, Officium Ordinatur, prout assignat Breviarium in qualibet Feria quoad Hymnos Psalmos Antiphonas &c. Feriæ majores & vigilia Sanctorum (non aliæ) habent preces majores flexis genibus in Laudibus, Horis in vesperis & Completorio. Quales sunt Quadrag: Adventûs. &c. vide infra ante § V.

Q. 6. Quid sit Octava, & quæ de illa observanda?

℟. 1. Per *Octavam* intelliguntur 7. dies subsequentes aliquod festum principale ab Ecclesia speciali hoc honore condecoratum. Festa cum octava in Breviario suis Locis vel in proprio aut Directorio notantur.

℟. 2. Octavarum sunt 4. classes. I. Octa-

va

va Paſchæ & Pentecoſtês, intra quas non ſit officium de ullo Sancto. II. Octava Epiph: quæ admittit tantum feſtum Patroni, Titularis, & Dedicationis, non tamen in octava die, in qua celebratur Baptiſmus Chriſti. III. Octava Corporis Xti, quæ admittit *2plicia* tantum ſed nec iſta translata, niſi ſint altioris Ordinis. IV. Deniq; ſunt reliquæ octavæ, quæ admittunt quæcunq; feſta etiam ſemiduplicia, cum hâc tamen diſtinctione, quod infra octavas hujus ultimæ ſpeciei duplicia translata fiant quocunq; die; *ſemiduplicia*, vero non transferantur ultra proximè ſequentem diem, ſi occurrant vg. in Dominica infra octavam; quæ ſi fuerit impedita feſto 9. lectionum, transferuntur poſt octavam; ſed ſemiduplicia occurrentia, ante octavam, transferuntur poſt octavam.

℟. 3. Quod feſtum ſit dignius altero, deſumitur partim à ritu feſtorum, ſic duplex ſemiduplici dignius eſt. Partim à dignitate Perſonæ, ſic feſtum Xti dignius eſt feſto Beatiſſimæ. Omnes dies octavæ pro una computantur, cum octava ſit pro-

rogatio festi, hinc etiam octava festi 2plicis 1. classis, nobilior est, quàm octava festi 2plicis 2dæ classis.

R. 4. A die Cinerum usq; ad Dominicam in Albis, & à die 17. xbris usq; ad Nativitatem, nulla octava celebratur, nisi sit Privilegium. Item vigilia Pentec: non patitur octavam: quod si in hac, & in illis incidat octava; abrumpatur; In vesperis tamen pridianis fit adhuc commemoratio octavæ j. P. Lhoner.

§ III.

De Tabula Concurrentiæ, & Occurrentiæ, ac translatione festorum.

Occurrere festa dicuntur, quando uno eodemq; die duo festa cadunt V. G. si festum S. Joannis cadat in festum Corporis Xti.

Concurrere dicuntur, quando duo festa 9. Lectionum, alterum hodie, alterum cras celebrandum, vesperas exigunt.

Cum igitur duo festa eodem die celebrari ab Ecclesia non soleant, ex illis necessario unum *Occurrens*, in alium diem transferri debet, & quod nam illorum transferendum

dum eſt, inſpicienda eſt tabula occurrentiæ, quæ quomodo intelligenda, petendus eſt Inſtructor in Seminario. Item cum de utroq; non celebrantur veſperæ integræ ſed vel à Capitulo de ſequente vel totæ integræ de alterutro eſſe debent, ſimiliter inſpicienda eſt tabella *Concurrentiæ*, & conſulenda quomodo in eo caſu procedendum. Porro

Obſervanda circa has Tabulas ſunt ſequentia:

I. Quandocunq; in *Proprio* de Tempore aut Sanctorum reperitur aliqua particularis diſpoſitio, ceſſant regulæ generales in illis tabulis vel Rubricis poſitæ, ſicut fit in feſto S. Joannis Evangeliſtæ & S. Stephani Proto-Martyris.

II. Quandocunq; dies non privilegiata cum privilegiata occurrit ceſſat diſpoſitio generalium Rubricarum de con et occurrentia. Hinc quia dies infra octavam Paſchæ & Pentecoſtês, feriâ 4tâ Cinerum, & Hebdomadæ majoris, vigiliæ Nativitatis D. & Pentecoſtês omne feſtum excludunt: S. R. C. 28. Aug: 1627. fruſtra in eorum occurrentia vel concurrentia ad

generales regulas & tabulas recurritur.

III. Quandocunq; 2. festa quoad dignitatem inæqualia occurrunt, debet minùs dignum cedere digniori juxta exigentiam illius, ita, ut si transferri possit, omnino transferatur; si verò loco affixum sit, tunc vel commemorationem tantum habeat, vel si festi dignitas sic postulet, omnino eo anno omittitur.

IV. Quandocunq; 2. æqualia festa concurrunt, dividere interse vesperas debent, de priore vesperæ ad Capitulum, de sequenti à Capitulo, cum commemoratione prioris, & hoc est quod apponitur in Directoriis *Vesperæ à Capit: de seq:*

Nota Festa 1mæ vel 2. classis, 2plicia majora non dividunt vesperas sed integræ vesperæ fiunt de digniori, commemoratio de minus digno, seu minùs Celebri.

Q. Quid circa utramq; tabulam occur. & concur. ultra observandam pro meliori intelligentia?

℞. Observanda sunt sequentia. 1. Quod in iis ordo superior festorum, aut feriarum ex parte sinistra seu superiori lineâ

rectâ

rectâ positus, & alter infra, ex parte dextra obliquâ lineâ, positus significet festa aut ferias quæ occurrere vel concurrere possunt. 2. Quod in tabula *occurrentium*, perinde sit, sive festum aliquod aut feria in superiori lineâ rectâ, sive in inferiori obliquâ quæratur, ut in exemplo practice ostendendum. In tabula verò *concurrentium*, semper festum aut feria præcedens in superiori rectâ priùs, deinde vero subsequens in inferiori obliquâ quærendum est. 3. Quod numerus ille ex parte dextera, annotat & remittit ad eum numerum inferius positum qui tandem instruit, de quo officium dicendum vel commemoratio facienda aut translatio. 4. quod in eâdem linea per numeros distincta si vg. dicitur *Officium de 1mo, commemoratio de 2do* per 1mum intelligitur festum in linea rectâ notatum, per *2dum* vero festum in linea obliquâ positum. 5. Quodsi interdùm in *concursu*, loco numeri cifrula o apposita sit, illa significat, nunquam inter duo talia festa aut ferias *occursum*, aut *concursum*, fieri posse: quia uno posito, hoc

ipso

ipso alterum non habet jus ullum exigendi pro se officium, aut commemorationem. Si forte hæc sunt Tyroni Seminaristæ obscura, pro elucidatione & practica Instructione remitto illum ad Instructorem, cujus manuductione hæc melius & clarius per praxim intelliget.

Circa autem Translationem Festorum hæc Observanda.

1. Transferri possunt & debent, sola festa 2plicia & semiduplicia. Interdum etiam Dominica anticipanda ut supradictum ubi *de officio Dñicæ* §. 2. Q 3. Sicut & vigilia in Dominicam vel in festum 1mæ classis incidens. de quo etiam supra.

II. Quando 2. festa 9. lectionum occurrunt, unum transfertur in diem non impeditam; est autem dies non impedita, in quâ nullum aliud festum 9. lect: occurrit. Dies infra octavam non est dies impedita respectu. *2plicium* translatorum, ideo in illis possunt collocari, nisi sint octavæ privilegiatæ ut Paschæ, Pentecost: &c *semiduplicia*, infra octavam talem, scilicet non privilegiatam, occurrentia solum

in

in diem immediate ſequentem transferri poſſunt, quæ ſi impedita fuerit alio feſto 9. lectionum, ultra octavam transferri debent: E.G. Si ob Dominicam, *ſemiduplex*, transferatur, tunc ſi feria 2dâ eſt impedita, ultra octavam transfertur. Sic & de nullo ſemi2plici feſto quod ultra unam octavam translatum eſt, fieri poteſt infrà aliam octavam.

III. Hoc ordine & tempore feſta translata celebrari debent. 1. Inter translata diverſæ claſſis hoc reaſſumendum eſt, quod eſt dignioris ritûs: ſic 2plex, licet poſterius ſit, quod translatum fuit, ſemiduplici tamen præfertur; licet illô prius tempore fuit. 2. Inter feſta ejuſdem claſſis, id priùs celebrandum eſt, quod priùs tempore translatum fuit: ſic inter 2. Duplicia non eſt differentia in translatione, licet alias deberet eſſe in commemoratione. Cæterùm feſta translata eô ritu celebranda ſunt, quô celebrata eſſent, ſi non eſſent translata. In hymnô autem *Iſte Confeſſor*, tertius verſus mutatur, ſi ultra unum diem transferatur, & in 3tio die uſq;

de-

de illo fiat officium: non mutatur, sic, si statim sequenti die de eo fiat officium. De- quo vide infra Decretum. 3. Quodsi occurrant festa duo, eôdem die sub una ratione festi in Calendario Romano secum posita: quorum alterum est Patroni, E. G. si in aliqua Ecclesia Patronus sit *S. Philippus*, tunc de illo, ritu *2plici 1mæ classis* fit officium: de *S. Jacobo*, autem officium transfertur & celebratur die non impeditô, *ritu duplici 2dæ classis*, prout exigit Calendarium Breviarii, quia hôc ritu festa Apostol: celebrantur: Interim hoc observetur in tali officio: ut oratio, Lectiones, Evangelium cum Homilia congruant festo, ut pro uno tunc, non pro pluribus fiat officium, & deficientibus propriis, erit recurrendum ad commune. Si autem Patronus sit talis, qui in Calendario ritu simplici notatur, tunc in illa Ecclesia cujus est Patronus, nil fit de sociis ejus, sic E. G. in Ecclesia *S. Marcellini*, S. Petrus & Erasmus nil habent, nequidem commemorationem. 4. A *Dominica Palmarum*, usq; ad octavam *Paschæ* inclusivè festa occurrentia,
trans-

transferantur: Item festa 2plicia & semiduplicia, quæ veniunt in Dominicis *Adventûs, Septuagesimæ, Sexagesimæ Quinquagesimæ*, in diem non impeditam. Cæterum observentur hic, de Dominicis 1. & 2. classis, quæ supra dixi de officio Dominicali.

Q. Sunt ne aliqua scienda ad Complementum hujùs doctrinæ?

℟. Sunt: uti: *de Officio Patroni, Titularis, & ad Libitum.*

I. *Patronus* est, quem Episcopus cùm populo elegit sibi Patronum: *Titularis*, dicitur, sub cujus invocatione dedicata est Ecclesia. Officium Patroni & Titularis 2plx est, & 1. Class: Si plures sint, officium singulorum 2plx erit, Principalis verò erit 1. classis cum octava. Quæ dicta sunt de Patrono, etiam intelligenda sunt de Fundatoribus Ordinum Canonizatis.

II. Festa *ad Libitum*, dicuntur ea, quæ non sunt de præcepto prò universali Ecclesia, sed tantùm pro aliquô Regno vg. Hispaniæ, concessa, ita ut apud nos recitari possit officium vel de tali festo, vel de feria. Hæc festa non possunt, nec debent

bent transferri: Ordinavit S. R. C. 2. xbris 1673, ut deinceps festa ad *Libitum*, si in diem Dominicam vel *festum mobile* id est nulli certo diei mensis affixum, incidant, neutiquam transferri possint, sed eo anno omittantur: idem dic, si venerint infra octavam.

§ IV.

De ritu proprio singularium partium officii Divini.

Q. 1. Quæ sunt observanda de qualibet parte officii Divini?

℟. Sequentia. I. *Hymni* (qui sunt orationes metricè in honorem & laudem Dei, ac Sanctorum ejus compositæ) si proprii sunt præscripti, illi sunt adhibendi, si non sunt proprii, sumantur de communi. Idem intellige de Antiphonis, Psalmis, Lectionibus, Capitulis Versiculis, & versu ad Invitatorium &c. Undè ante omnia est festum revidendum benè in Breviario, antequàm incipias recitare officium. 2. Hymnus si sit ejusdem metri, propriam stropham non habens, si officium sit de Ven: Sacramento vel B. V. M.

autsi

aut ſi cadat infra octavam horum feſtorum, ſemper tunc concluditur ſic: *Jeſu tibi ſit gloria, qui natus es de Virgine &c.* Concluditur etiam tempore Paſchali congruenter ad tempus Paſchale ut videre eſt in Breviario. 3. In *Hymno*, Confeſſorum Pontif: & Confeſſorum non Pontif: loco: *meruit beatas ſcandere ſedes* ſi non ſit dies obitûs Sancti illius, dicitur: *meruit ſupremos laudis honores.* Undè quoties feſtum translatum eſt ultra unum diem, toties mutatur: Infra octavam dicitur ut in 1mo feſto, quià pro uno eodemq; die reputatur.

II. *Antiphonæ*, latinè: *ſonum oppoſitum* vel *reciprocum* ſignificantes, quia in choro, nunc ab uno, nunc ab altero latere reciproce decantantur hæc habent circà ſe obſervanda. 1. quòd antè & poſt Pſalmos in 2plicibus integrantur ut ſuprà dictum, in non 2plicibus antè Pſalmum tantùm initiantur, ita ut unicum verbum ſufficiat, dum modò hoc verbum non ſit unius ſyllabæ: 2. Si Antiphona eodem modô incipit, quô Pſalmus vel Canticum, non repetitur initium, ſed ſtatim pergitur in Pſalmo vel Cantico.

III.

III. *Canticum* eſt alicujus operis extraordinarii encomium. Cantica ex veteri teſtamento ſunt ſeptem, quæ referuntur: in Laudibus 7. feriarum loco *Benedictus Dominus &c.* Ex novo teſtamento ſunt tria: *Magnificat. Benedictus. Nunc dimittis.* Cantica dum decantantur, ſemper ad illa ſtandum eſt, ſicut ad Evang: in Miſſa.

IV. De *verſibus* prò Commemorationibus, & de ipſis *commemorationibus* hæc obſerva. 1. Recitatur Antiph: cum *verſiculis* ex Laudibus ad *Benedictus* in propriô Sanctorum: ſi verò hi verſiculi jam dicti ſunt cum Antiph: ob ſimile feſtum occurrens, tunc pro commemoratt: ſumenda eſt *Antiph: cum verſiculis* ex 1mis veſperis ad *Magnificat* quòd ſi jam & hi dicti ſunt, tunc *Antiphona* dicatur ex 2dis veſperis, verſiculi autem ex 2do Nocturno. 2. omnis commemoratio inchoanda ab *Oremus* non clauditur tamen per clauſulam ordinariam & competentem, niſi ſit ultima. 3. Si eſt facienda *Commemoratio* de vigiliâ: tunc *Antiphona* & *verſiculi* ex feriâ occurrente deſumantur, niſi ſit propria aſſignata.

V.

V. *Abſolutio:* ſic dicta quod *abſolvitur* nocturnus, vel quia ſimul cum oratione Dominicâ ſecretô prærecitatâ petimus *abſolvi* & mundari corda, ac corpora noſtra, ad audiendum verbum Dei in Lectionibus, quæ, ſequntur. Poſt illam petitur *benedictio*, & datur per modum *licentiæ*. Abſolutiones & benedictiones quomodô ſint dicendæ habetur in Breviario antè Pſalterium, oc inſpice, & ea memoriter diſce. Cæterum obſervetur, quòd ſi ſolus oras in petenda benedictione dicas *Jube Domine benedicere:* Si cum Socio, vel in Choro, dic: *Jube Domne benedicere*, quia ibi a Deo poſtulatur benedictio, hic ab homine in quacunqué ille dignitate etſi Papali conſtitus ſit juxta Merati parte 2. tit: 6. n.4. adducentis ex Macrio verſum:

Cœleſtem Dominum, terreſtrem dicito Domnum.

VI. *Lectiones*, hæc de ſe obſervanda habent. 1. Quòd in *2plici* & *ſemi2plici* 9. ſint Lectiones, in ſimplici ſunt tantum 3. *2dò* Nunquam initium libri S.

 Scri-

Scripturæ cadens omittitur. Si verò in die, quâ præscribitur legi non potuit, legatur 1mâ die non impeditâ vel aliâ sequenti, conjungendo illi lectiones diei cadentis vel non conjungendo, imô si in fine hebdomadis initium legi non potest, debet præveniri. vide infrà §. 5. 3tiò Omnis lectio clauditur his verbis *Tu autem Domine miserere nobis* quasi confitendo culpam suam commissam, per distractionem, errorem, &c. Chorus respondet *Deo gratias* agendo pro pabulo Spirituali ex Lectione illa accepto. Non clauduntur autem sic Lectiones in Officio *Defunctorum, in Cœna Domini, in Parasceve, Sabbatho Sancto:* 4tò Lectio brevis in *Prima*, si est Officium de tempore, sumitur ordinariè ex Psalterio pro diversitate temporis; in Festo autem, locô lectionis brevis, legitur ordinariè Capitulum *Nonæ* cum clausula: *Tu autem Domine miserere nobis.* 5tò Toties ex Lectione 8va & 9na facienda est una Lectio, quoties vita integra Sancti de quo

fit,

ſit, in illis continetur.

VII. *Reſponſorium* ſubintelligitur Canticum, ita vocatur, quia reſpondet Lectionibus ſingulorum Nocturnorum, triſte triſtibus, lætum lætis.

VIII. *Te Deum laudamus* poſt 9. Lectionem ſemper dicitur: Exceptis *Dominicis* habentibus colorem violaceum, & *Feriis*, in quibus vel violaceus vel viridis color adhibendus eſt. Item in Feſto SS. *Innocentium*, niſi cadat in Dominicam, ut notatur in Breviario hoc feſto.

IX. *Preces* feriales tantum dicuntur in Feriis Adventûs, Quadrageſimæ, IV. Temporum, & Vigiliis quæ jejunantur: Excipe IV. Tempora Pentecoſtes & Vigiliam ejus, item Vigiliam Nativitatis Chriſti, Epiph: & Paſchæ. Prò pleniore hujus, cæterorumqué notitiâ recurre ad Rubrum Breviarii, illudqué relegere ſæpe ſatagas, præſertim cùm dubium occurret, aut Recollectioni vacabis.

§. V.

De licitâ horarum recitatione, & De-

cretis nonnullis hanc materiam Concernentibus

Ut licitè fiat recitatio D.Officii, hæc sunt observanda: 1. Si post matutinum statim non dicuntur Laudes, concludatur Oratione & uno *Pater noster*. Laudes si statim dicantur, tunc illæ nonnisi in fine concluduntur uno *Pater*, deinde Antyphonâ de B. V. M. præmissô versu *Dominus det nobis suam pacem* ante illam Antiphonam, post quam dicitur Oratio de B. V. M. & additur *Divinum auxilium &c.* 2. Tempus justum servetur pro recitatione matutini si pridie anticipandum est. Tempus autem justum subiicitur hic in sequenti tabella typis Cameræ Apostolicæ vulgatâ Annô 1706.

Die 20.Jan:horâ 2.cum 1.quad:ad 3tiam.
13.Febr:horâ 2.cum 2.quadran:ad 3tiam.
1.Martii horâ 2.cum 3.quadr:ad 3tiam.
18. Martii horâ 3tiâ.
4.April:horâ 3.cum 1.quadran:ad 4tam.
20.April:horâ 3.cum 2.quadran:ad 4tam.
10.Maii horâ 3. cum 3.quadran:ad 4tam.
8. Junii horâ 4ta.

30. Julii horâ 3. cum 3. quadran: pro 4ta.
23. Aug: horâ 3. cum 2. quadran: pro 4ta.
7. Sept: horâ 3. cum 1. quadran: pro 4ta.
24. Sept: horâ 3.
13 Octob: horâ 2. cum 3. quadran: pro 3tiâ.
20. Octobr: horâ 2. cum 2. quadr: pro 3tiâ.
18. Nov: horâ 2. cum 1. quadran:
15. Decemb: horâ 2. ipsâ.

Universaliter autem censet P. Lacroa l. 4. n. 1314. tunc pridie inchoari posse matutinum, quando sol est propinquior ad occasum quàm ad meridiem. 3. *Horas minores* quales sunt *Prima, Tertia, Sexta, Nona,* ab iuvicem limite separari posse, quæ si statim laudibus subjungantur, tunc Antiphona de B. V. M. non dicitur post Laudes, sed in fine ultimæ horæ. *Vesperæ* per Pater noster terminantur. *Completorium* per Antiphonam B. V. M. *Pater, Ave,* & *Credo.* 4. Matutinum à Laudibus licitè separari potest juxta graviores Doctores per spatium integræ noctis. Si separentur: ad initium Laudum dicitur *Pater, Ave.* Unus Nocturnus ab a-

 lio

lio ad spatium 3. horarum dividi potest juxta Gavantum. 5. Satisfit præcepto gravi, modò recitentur horæ Canonicæ ab hora 12. noctis usqué ad horam 12. noctis inclusivè. 6. Officium Defunctorum, Psalmi Pænitentiales, & Graduales si præscribuntur, recitari debent ab iis, qui sunt obligati ad Chorum. 7. In Comm: OO. FF. Defunctorum Officium Deff: ab omnibus dici debet sicut & Litaniæ in feriis Rogat: (intellige, qui sunt obligati ad Breviarium,) nec tamen licet idem Officium pridiè anticipare. Ita ex Decr: S. R. C. 1607. Idem de Litaniis prædictis sentiunt AA.

Decreta nonnulla S. R. C. huc spectantia.

1. Clerici tàm Sæculares, quàm Regulares dùm morantur extra suam Diecœsim non solùm possunt, sed etiam debent recitare Divinum Officium, suæ Diecœsis, non verò illius, in quâ protunc manent i. e. tanquam hospites 8. Sept: 1605.

2. In

2. In Orationibus de Sanctis non sunt nominanda Cognomina & Patria illorum v.g. S. Joannis Ly à *Capistrano* à *Facundo*. 23. Junii 1736.

3. Quandò in Mense Novembri sunt eâdem die ponenda plura initia Prophætarum, unica tantùm lectio unius cujusqué Prophætæ dicenda est, non verò tres in unam conjungendæ 5. Julii 1698.

4. Non possunt poni plura quàm tria initia Prophætarum unica die. Ita eadem S. R. C. superius citata.

5. Quandò infrà Octavam Corporis Christi fit Officium de aliquo festo zplici non debet omitti 9na lectio simplicis. Cæterùm si fiat de Octavâ ejusdem Corporis Christi, omittenda est. 4. Apr: 1705.

6. Si verò transfertur festum non solùm quò ad Officium sed etiam quò ad forum seu quò ad populum, non desunt qui censent transferri pro tunc etiam Indulgentiam, allegando Decr. Sac: Cong: Indulgen: 2. Julii 1674.

7. Psalmi Graduales ac Pænitentiales dicuntur licitè (ubi est consvetudo eos dicendi) pridie Vesperi post Completorium 2. Aug: 1603.

8. Ubi celebratur festum SS. Gabriélis vel Raphàélis, ad 8vam benedictionem dicatur *cujus festum colimus* non autem *quorum* d. 13. Sept: 1692.

9. Pro Suffragiis B. V. M. in Ecclesiis eidem sub quocunqué titulo dicatis, sufficit consveta Antiph: *Sancta Maria*. 23. Apr: Annô 1695.

10. Quando contingit transferri festum alicujus S. Confessoris à die sui obitûs in diem proximè sequentem si fiat à Capitulo de ipso, tunc in 1. Vesper: dicitur in Hymn: *Meruit beatas* &c. ac in reliquo Officio diei sic debet dici 13. Jan: 1682.

11. Ad Invitat: ad Antiph: ℟℟. ac ℣. *in Officio parvo B. V. M.* tempore Paschali, non additur Alleluja 28. Martii 1626.

12. In feria 4. *Cinerum* non est facienda commem: Octavæ Privilegiatæ,

insuper

insuper non attentâ tali 8vâ, dicendæ Preces feriales, Psalmi Graduales, & aliæ Rubricæ illius diei servandæ 14. Jan: 1682.

13. Tertiarii S. Francisci Seraphici Sacerdotes sæculares, possunt uti Breviariô Ordinis Minorum, & illius Calendario conformari. 7. Aug: 1694.

§. VI.

De devota Officii Divini recitatione, ritu in illa servando, & de Vesperis Solemniter celebrandis.

Antequàm ad devotam Officii Divini recitationem descendam prius de ritu in illo servando instruendum duxi: circa quem hæc sunt observanda.

Statur 1. ad initium horarum speciatim ad Invitatorium. 2. ad omnes hymnos, præcipuê ad Hymnum S. Ambrosii id est ad *Te Deum laudamus*. 3. ad textum S. Evangelii. 4. ad omnia Capitula in Horis. 5. ad Cantica novi Testamenti. 5. ad omnes orationes, & preces, quæ has præcedunt, nisi sint flexis genibus dicendæ ut in Adventu

Qua-

Quadragesima & in Vigiliis. 7. Tempore Paschali & in omnibus Dominicis à 1mis Vesperis standum est ad Antiphonas B. V. M. E. G. *Salve Regina*, *Ave Regina Cœlorum &c.* Ista in Choro omninò servanda.

Genuflectitur 1. Convenientiùs ad verba *Adoremus & procidamus ante Deum* in Invitat: 2. Ad preces in feriis Adventus Quadrag: & Vigiliis Sanctorum. 3. In Hymno S. Ambrosii ad verba *Te ergo quæsumus &c. Sanguine redemisti* inclusivè. Si fit mentio in Capitulis Nominis Jesu, non flectitur, sicut nec in ℞℟. ad illa verba: *Verbum Caro factumest*.

Caput inclinatur: 1. Ad *Gloria Patri*. 2. Ad SS: Nomina Jesu & Mariæ, vel illius Sancti, de quò est Officium, vel fit commemoratio. 3. Ad *Confiteor*, quod *NB.* qui solus orat, dicit semel, ac omittit *tibi Pater, & vobis Fratres:* Cum dicit *Misereatur* & *Indulgentiam* debet tunc dicere *nostri* & *nostrorum* non autem: *mei*, *meorum* licet solus oret. 4.

Incli-

Inclinandum caput in concl: Hymn: ad verba: *Deo Patri ſit gloria.* 5to ad verba: *Benedicamus Patrem & Filium.* 6. ad verba: *Sit nomen Domini benedictum. Sanctum & terribile nomen ejus. Non nobis Domine, ſed nomini tuo da gloriam.*

Signum Crucis formatur. 1. Ad initium recitationis. *2do* Ad initium Officii dicendo *Domine labia* ſolo pollice: dicendo *Deus in adjutorium meum* à fronte ad pectus tota manu: *NB.* ad eadem verba ter dicenda in *Prima* non ſignat ſe, item dùm dicuntur in precibus Primæ, in feriis majoribus. 3. Signat ſe ad Verſum: *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.* 4to. ad verba *Indulgentiam abſolutionem.* 5to. ad verba in fine Primæ *Dominus nos benedicat* & in fine Completorii ad illa verba: *Benedicat & cuſtodiat.* 6. ad Antiphonas de S. Cruce in feriali officio *Per ſignum Crucis.* His de ritu abſolvendi Officii D. præmiſſis, nunc quæ concernunt devotam recitationem Breviarii jam obſervanda habeas.

Ob-

Observanda ante Officii D. recitationem.

I. Præmittenda est recitationi Præparatio, quæ 2plex est: *Remota*, quæ consistit in statu gratiæ: *non enim est speciosa laus in ore peccatoris* Eccl: 15. v. 9. Et *Proxima*, quæ vult invocationem Nominis Divini saltem per hæc verba, quæ Ecclesia præscribit: *Deus in adjutorium meum* &c. quia: *nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in Spiritu S. 1.* Cor: *12. v. 3.* ideoqué præmittantur oratiunculæ in Breviario præscriptæ, quæ incipiunt: *Aperi Domine* &c.

II. Ad hanc præparationem jungatur bona intentio, saltim, implicita laudandi Deum cum elevatione mentis ad eum, & applicandi pro felici statu S. Ecclesiæ, ejusqué indigentiis, seu pro plebe suæ curæ commissâ. Aliis occupationibus horæ Canonicæ non postponantur, nonne anima plùs est, quàm esca? Lucæ 12. *v. 23.* Sed de hac re audiatur S. August: qui dicit *Orare ante tempus, est providentia; in tempore, est obedientia; post tempus, est negligentia.*

III.

III. Horæ Canonicæ ſtudioſè pariter ac devotè ſunt dicendæ: Caput *Dolentes* de celebr: Miſſ: ait: *Strictè præcipimus in virtute obedientiæ, ut D. Officium Nocturnum pariter, & Diurnum, quantum eis Deus dederit. ſtudioſè celebrent, pariter, & devotè.* Porro dicitur *ſtudioſè* officium, quando omnia verba pronuntiantur clarè: *devotè*, ſi adſit debita attentio *externa* & *interna* ad ſenſum, vel ſaltim ad verba & ad Deum ſimul.

Obſervanda in ipſa recitatione D. Officii.

I. Recitetur 1. *diſtinctè* quò ad vocem & verba, 2. *attentè* quò ad memoriam 3. *intelligenter* quò ad intellectum 4. *ardenter* quo ad voluntatem & affectus pios 5to. *Reverenter* quò ad habitum corporis, ſunt enim horæ canonicæ laus Dei, unde ſic perſolvantur ſicut poſtulat majeſtas Dei. De hâc re audi Auguſtinum ſic ſvadentem: *Cum oratis Deum, hoc verſetur in corde, quod profertis ore, Si orat Pſalmus orate; ſi gemit, gemite; ſi gratulatur, gratulamini; ſi ſperat, ſperate; ſi timet, timete; omnia enim*

quæ

quæ hic scripta sunt, speculum nostrum sunt. Hôc enim modô facile distractiones vitabis, ad quas coercendas provocat Ecclesia: *Os, lingva, mens, sensus vigor, confessionem personent.*

II. Si advertas te distractum fuisse parte modica vel notabili in Divino Officio non voluntariè, de repetendâ illa parte Officii non sis sollicitus, aliàs in laqueum innumerorum scrupulorum incides, sed satis erit si intentiónem Deum laudandi renoves, ac ulterius pergas in recitatione.

III. Post recitationem autem, defectus in illa commissos, elicito doloris actu compensa, in unione meritorum Christi ejusqué Sanctorum Deo offer, concludendo illâ precatiunculâ in Breviario præscriptâ *Sacrosanctæ & individuæ Trinitati.*

De Vesperis solemniter celebrandis.

Scias I. Mutatio colorum in paramentis Altaris ac Ministrorum debet fieri in 1. Vesp: Si autem Vesperæ non sint integæ, is color adhibendus est in

initio Vesperarum, qui congruit illi festo, de quô est Capitulum, qualis verò color congruat cui festo, dictum est in Instr: de Missa, ubi de colore prope finem: annotatur autem in Directorio Color per *A.* albus, per *R.* ruber, per *Vr.* viridis, per *Vt.* violaceus, per *N.* niger.

Scias II. Ut Conformiter Ceremoniali Romano fiant Vesperæ, ita celebrandæ sunt: 1. Sacerdos induit superpelliceum (si non sit in aliqua majori dignitate) Stolam, Pluviale, si Ministri sunt, Diaconus, & Subdiaconus in Dalmaticis ac in Albis ut ad Missam. Si cum Vrli sint Vesperæ, ac Minstris, in Sacristia Diaconus à Sacerdote petit benedictionem. 3. Factâ Cruci reverentiâ, tectô capite, manibus junctis, dextro pollyce super sinistrum posito, ibunt ad altare eôdem modô quô in Missa Solenni dictum suprà. 4. Coram altari detectô capite genuflectant, biretum Sacerdotis Diaconô, hujus & Subdiaconi Ceroferariis traditur. 5.

Si

Si exponendum est Ssmum, observanda sunt omnia, quæ de hoc suprà dicta sunt ubi de Missa Solemni. 6. Data benedictione & facta incensatione Ssmi surgit Sacerdos cū Ministris. 7. Sacerdos canit, stans ad medium altaris, *Deus in adjutorium* &c. formans Crucem & cum eo Ministri à fronte ad pectus. 8. Cum canitur *Gloria Patri* genuflectunt & postea eunt ad latus ad sedilia, ubi auditis verbis *sede á dextris meis* tunc primum sedent. 8. Absolutis Psalmis, Capitulo, ac Hymnò, inchoat celebrans *Antiph:* pro *Magnificat:* accedunt thuriferarii cùm naviculâ & thuribulo sistentes se è regione Celebrantis cum inclinationibus capitum, quasi invitantes ad incensationem faciendam tempore *Magnificat*, qui vadit ad altare, benedicit thus (si non est benedictum à Prælato superiori, puta Episcopo) & incensat Sanctissimum (si est) & altare, eo modo, ut suprà dictum est de Missâ Solemni. Posteà vadit cum Ministris ad alia altaria incensanda. *Nota* Exposito Ssmo

Sacra-

Sacramento in altari majori, dùm ſub *Magnificat* in Veſperis idem altare majus incenſatur, non eſſe thure adolenda alia altaria: ita ſtatuit S. R. C. 7. Maii 1746.

9. Poſt incenſationem altaris cum Sanctiſſimo, aut plurium, vadit ad locum ſuum, ubi ſedebat, Celebrans, incenſatur á Diacono, quô factô reddit Diaconus thuribulum Acolitho, à quô in loco ſuo jam à dextris Celebrantis ſtans, incenſatur cum Subdiacono. Dein reliqui in Choro incenſantur ab eodem. 10. Interim finitô *Magnificat* canit celebrans *Dominus vobiscum:* ac Oratione, ad finem ejus vel earum (ſi ſunt plures) Diaconus cum Subdiacono eunt ad medium altaris, præmiſſâ Celebranti inclinatione capitum, & factâ genuflexione coram altari, in medio, canunt *Benedicamus Domino.* Poſtea ſi eſt Proceſſio facienda, ex locis ſuis antè altare verſâ facie ad Celebrantem Miniſtri faciunt ipſi inclinationes quaſi invitando, qui ad eos venit ad medium altaris & facit facienda. Si verò non eſt facienda Proceſſio, nec eſt Ssmum, Diac: cum Subdiaco-

no redeunt post *Benedicamus* ad Celebrantem & manent ibi usqué ad conclusionem Vesperarum. Et hæc de Officio Divino quantùm ad instructionem Seminarii Tyronis jam sufficient, quoniam verò Decretum Concili Tridentini non solùm ea tradenda in Seminario, quæ præmisi hucùsqué desiderat, sed & Computi Ecclesiastici doctrinam declarare jubet, idcirco, vel saltim primis labris ad aliquam illuminationem eorum, quæ in Breviario de eodem Computo apponuntur, degustabimus. Proindè jam sit:

INSTRUCTIO VII.

De Computo Ecclesiastico.

Computus Ecclesiasticus sic dicitur, non quia artem computandi docet, hoc enim munus artis Aritmeticæ est, sed quod ille non aliter nisi per computationem cognosci potest, & quod, quæcunqué tractat, ea omnia ad ritum Ecclesiæ Romanæ sunt accomodata. Hinc dicitur etiam Calendarium Gregorianum quod solis, & Lunæ cursus doceat, & quia illud Gregorius XIII. Pontifex ma-

xi-

ximus, correxit & emendavit Ann: 1582. Quoniàm verò Computus hic essentialiter tempus respicit, tempus autem in se continet partes multas: hinc 4. §is agetur de hora & differentiâ ejus de Die, & Nocte & Septimanâ, de Mensibus, Calendis, Nonis Idibus, De Annô & partibus ejus: & hi 4. §. erunt quasi præliminares, ad majorem elucidationem intentæ materiæ nostræ inservientes, quæ sequentibus tractabitur §is, id est: 5tus aget de Cyclo decemnovennali, seu aureo numero 6. De Epactis, 7mus De Litera Dominicali, 8vus De Festis mobilibus.

§. I.

De Hora, ejusqué differentia.

Priùsquàm de horâ, parte temporis, innuam, de toto ipsius, seu tempore aliquid præmittendum est. Porro *Tempus* juxta Aristot: est *mensura motus secundum prius & posterius*: secundùm verò Computistas: *est mora motûs rerum variabilium*: seu est *spatium è cœli solisqué vertigine deductum, quò omnium rerum sublunarium mobilium metimur vicissitudinem.* Porrò.

Hora est spatium temporis continens 24. partes æquales diei naturalis, nam hora hic accipitur pro æqualibus spatiis, in quæ dividitur dies.

Hora est 2plex. alia est *æqualis*, quæ est vigesima quarta pars diei naturalis. Alia *inæqualis* quæ est 12. pars diei ab ortu ad occasum.

Horæ apud Judæos erant 2plices: Simplices, erant 24. *compositæ* aliæ majores erantque 4. quarum quælibet 3. horas æquales continebat, minores erant per diem 12. ideò Christus Joan: *Nonne 12. sunt horæ diei.*

§. II.

De die & nocte.

Dies est spatium temporis, quô sol ad raptum 1mi mobilis, totum percurrit orbem cœlestem. Deducitur à *dio* quod idem est Latinis quod *duo*, dies enim naturalis continet in se diem & noctem: vel à *diis*, ante enim Planetæ Dii vocabantur, à quibus dies nomina sua sortiebantur.

Dies alius est *naturalis*, qui 24 hora-

rarum spatiô constat, quem varii variè incipiebant, vel à sole oriente, ut vulgus & Babylonii; vel à media nocte ut Romani, quos etiam sequuntur Christiani: Arabes cũ Astronomis à meridie, dicentes solem esse tum temporis perfectissimum & in meridie factum: Judæi à Vesperis, innitentes authoritati S. Scripturæ in Genesi: *Factum est Vespere & mane dies unus*. *Artificialis* alter est, qui est spatium, quô sol moratur in nostro hemisphærio, qui ad ascensum & descensum solis, crescit & decrescit. Hi iidem dies Artificiales apud Romanos erant multiplices: alii *Festi*, qui ad Deorum cultum erant instituti. Alii *Profesti*, qui ad usum operum accomodabantur: Alii *Intercisi*, qui tàm Divinis quàm humanis peragendis erant communes. Rursum alii *Fasti*, quibus præter citra omne periculum licitum erat agere lege, & illa 3. proferre verba: *do, dico, abdico*. Alii *nefasti*, quibus hoc idem agere non licebat. Alii *Comitiales* quibus comitia peragebantur. Alii *Præliares*, quibus fas erat hostem bellô lacesse-

 re.

re. Alii *atri*, quibus Romani aliquam cladem acceperunt. Alii *Critici*, quibus medici de ægrotis judicium ferebant, sunt autem hi: 7. 14. 28. &c. qui ab initio morbi computantur, his enim magna mutatio ad ægritudinem & sanitatem fit.

Nota Non eandem omnium dierum esse ubiqué mensuram: nam alicubi totus annus unâ expletur die, & ita fit quòd mane seritur, meridie metitur, vespere colligitur. Testatur Mella: lib: 3. cap: 2. Solinus, Plinius: dum inquit; *In Septemtrione verò solstitii diebus, accedente sole prorsùs vertice mundi, angusto lucis ambitu subjecta terræ, continuos dies habere senis mensibus noctesquè è diverso ad brumam remoto*. Nam ibi à die 24. Martii ad octavam Septembris est lux, ab hac verò ad 24. Martii nox, Incipit autem sol oriri illic á 4ta Maii & occidit 1ma Augusti: aliisqué diebus videtur quasi solis occidentalis esse crepusculum. Partes diei artificialis 7. statuuntur *Diliculum* seu *crepusculum*, *Matutinum*,

aurora

Auroræ diei clarescentis exordium, *Ortus solis, ipsa meridies, serum diei* id est *tempus occiduum* & *Vesperum tempus*.

Dies septimanæ Gentiles à Diis deducebant, propterea eorum nominibus dies nominabant, ut *dies solis, lunæ &c.* Xtiani verò, & primô Sylvester Papa, Vener: Beda, Hieronimus, idololatriæ memoriam & mores gentiles detestantes,, 1mum diem, Dominicum, reliquos, ferias nuncuparunt. Ut supra dictum est *Instr: præc.*

Nox est *absentia lucis solaris in Hemisphærio nostro*, seu est umbra terræ caussata ex absentia solis. Dicitur nox à *nocendo*, quòd hoc tempus aptissimum sit nefariis hominibus ad nocendum, juxta illud: *Ut jugulent homines surgunt de nocte latrones. Noctis* partes 6. 1. *Fax* 2. *Concubium*,, quandò nos quieti damus. 3. *Intempesta nox*. 4. *Conticinium*. 5. *Gallicinium*, 6. *Diluculum* cum jam incipit dignosci dies, *Noctis* autem Vigilias esse 4. 1. quæ ab initio noctis incipit & in 3tiam usqué producitur horam. 2da ab horâ 4.

ad 6tam, 3tia à 7ma ad 9nam, 4. à 9na ad 12mam, sive ad ortum solis, & una quæque Vigilia spatium 3. horarum continet. Unde Christus: *quodsi in 2da & 3tia vigilia venerit &c.* Lucæ 12.

Septimana est spatium 7. dierum sibi vicissim succedentium. Dicitur à *septem* & *manè*, eò, quòd septem tempora matutina contineat. *Septimanæ* in anno sunt 52. & dies unus juxta hos versus.

Quinquaginta duas capit hebdomadas, diem & unum,
Bis senos Menses integer annus habet

§. III.

De Mensibus, Calendis, Nonis, Idibus.

I. *Mensis* est spatium temporis certô numerô dierum comprehensum. Dicitur sic à *dimensione* ut vult Cicero l. 2. de natura Deorum, vel quòd omnes res numero dierum mensurentur, vel quod annus 12. Mensibus mensuretur. *Mensis* est 3plex *solaris*, qui est illud spatium, quô unum zodiaci signum peragratur à sole, idque diebus 30. horis 10. & minutis 39. *Lunaris* est spatium temporis, quô Luna à

sole

sole recedens, eidem rursùs conjungitur & hoc spatium fit 28. dierum. Unde nomina Mensium deducantur, sparsim in aliis libris, aut manuscriptis Scholasticis, sæpènumero in Rhetorica reperies. Partes Mensis uniuscujusque sunt 3. Calendæ, Nonæ, & Idus de quibus hic sigillatim, & quidem:

II. *Kalendæ* vocantur 1ma dies cujuslibet Mensis. Dicuntur autem à Græco vocabulo *Kalo*, quod Latinè idem est ac *voco*: nam apud Romanos Sacrorum Antistes convocatâ mulditudine pronuntiabat, quot dies ad *Nonas* à Calendis essent. Vel à *Colendo*, quià 1ma dies cujuslibet mensis, quæ vocatur *Calendæ*, apud antiquos consecrabatur Junoni, ut testis Ovidius.

Vendicat Ausonias Junonis Cura
Calendas

Nonæ dictæ sunt quasi Nundinæ, quia integris nonis exerceri solebant. Vel à *Novem*, quia ab eo die ad diem *Idus* sunt 9. dies, vel à *Non* quia apud Romanos nullum festum celebrabatur nonis, &

ideo

ideo nulli Deorum dicatæ erant.

Idus: dicitur ab *iduo* quod est *divido* illi enim dies Iduum, dividunt Nonas à Celendis, hi autem dies Iduum dicati erant Jovi.

Nota alios menses habere 4. Nonas, alios sex Nonas; *Idus* vero generaliter quilibet mensis habet 8. juxta illud metrum.

Sex Majus *Nonas*: October, Julius
& Mars.
Quattuor at reliqui, tenet *Idus* quilibet
octo.

Q. quomodo aliquis dies mensis per istas denominationes sit efferendus. Antequam respondeam hi versus memoriæ sunt imprimendi.

TraDita QuanDo ReFers SeDulo
ReFutato SoDalem
RuFus TarDe SeDet, ReFugus
SoDalitia TonDet.

Quorum versuum singulæ dictiones singulis mensibus correspondent: *Tradita* Januario, *Quando* Februario & sic per consequens cæteris, cæteræ, In quibus voci-

vocibus, considerandæ sunt Consonantes 1ma & media. *1ma* designat *Calendas*, quotaq; fuerit in ordine alphabeti, tot mensis habet Calendas. *Media* autem consonans designat *Nonas*, quotaq; est in alphabeto, tot designabit *Nonas* Nunc jam.

℟. & exemplifico: Vult aliquis scire quomodo efferenda sit per calendas dies 29. Martii, imprimis videat illam dictionem quæ deservit Martio, quæ est: *ReFers*, in qua 2. considerandæ sunt litteræ, 1ma *R* quæ designat Calendas, & *F.* quæ *Nonas*, & quia *R.* locum 17. vendicat sibi in ordine Alphabeti, ideo Martius 17. Calendas habet: *F.* verò quia est *6ta* in ordine Alphabeti, ideo etiam habet 6. Nonas. Idus quilibet Mensis, habet 8. Tandem debet collocare in certo articulo diem Mensis scilicet 29, qui incidit in 6tum articulum digiti annularis. His præsuppositis sic procedere debet: in 1mo articulo indicis dicitur 1ma dies Martii *ipsis Calendis:* in 2do 2da Martii: 6to. nonas in

3tio,

3tio, 5to Nonas, in 4to: 4to Nonas in 5to: 3tio Nonas in 6to Pridie Nonarum, in 7mo: 1mis nonis. Post Nonas sequuntur Idus: 8va dies Martii quæ incidit in 1mum articulum medii, dicitur 8vo Idus Martii, Nona dicitur 7mo Idus Martii; 10ma 6to Idus Martii, 11ma 5to Idus Martii: 12ma 4to Idus Martii: 13tia Idus Martii:. 14. Pridie Iduum, 15. Ipsis Idibus. Post Idus sequuntur Calendæ, habet autem Martius 17. Calendas ut supra dictum: Tandem 16. dies Martii dicitur 17mo Calendas Aprilis: 17ma Martii dicitur 16to Calendas Aprilis: 18va Martii dicitur 15to Calendas Aprilis: 19. Martii, dicitur 14to Calendas Aprilis: 20ma Martii dicitur 13tio Calendas Aprilis, idest decima 3tia die ante 1mam diem Aprilis.

Nota 1. Primam diem cujuslibet Mensis vocari ipsas Calendas: præterea quando post retrogradam investigationem ad penultimam diem pervenerimus non est nobis pronuntiandum:

2do

2do Calendas, 2do nonas, 2do Idus, sed pronuntiandum: *Pridie Iduum, Calendarum, & Nonarum.*

Nota 2. Præterea omnes dies reliquos post *Idus* vocari Calendas sequentis Mensis ut ex his colligitur Versibus.

Inde dies reliquos omnes dic esse Calendas
Quas retro numerans dices à mense sequenti.

Exemplifico hanc rem aliter: Dies 20. Januarii juxta Calendas: Januarius est mensis 1mus, proinde 1ma dictio illi servit *TraDita*: Nonæ 1mo ponuntur, quibus media dictionis litera servit D. ista litera in alphabeto est 4ta numero adeoq; incipio ita: kalendæ perse, 4to nonas, 3tio nonas, pridie Nonarum, ipsis Nonis. Inchoantur Idus: 8vo Idus, 7mo Idus, 6to Idus, 5to 4to 3tio Idus, pridie Iduum, ipsis Idibus: sequuntur kalendæ: quoniam vero Littera 1ma dictionis *TraDita* exprimens kalendas est T. ista vero in alphabeto est 19. ideo ab illo numero exprimo per

Calen-

Calendas anticipative mensem sequentem sic pronuntiando: 19no Kalendas Februarii, 18. Kalendas Febr. 17. Kalendas Februarii, 16to Kalendas Februarii, 15. Kalendas Febr. 14. Kalendas Febr. 13. Kalendas Febr. quæ est dies 20. Januarii. Semper retrogradè numerando.

§ IV.

De Anno & Partibus ejus cæterisq; illum concernentibus.

Annus ex ethimo nominis deducitur ab *innovatione* cunctorum vegetabilium, nam hæc quolibet annô innovantur, quæ temporum vicissitudine præterierunt. Vel à *Circuitu* temporis ut vult *Macrobius* derivando ab *an* quod veteres sumebant pro *circum* & *eo* quod est *fluo* propter assiduam temporis revolutionem. Vel ab *annulo* per diminutionem, quasi parvus annus, quia mensibus in se recurrentibns quasi annulus & circulus redit in se, juxta illud Virgilii.

Atq; in se sua per vestigia volvitur annus.

Annus

Annus est spatium temporis, quô sol motu proprio naturali percurrit zodiacum in spatio 360. dierum, & horarū aliquot.

Nota Zodiacus est circulus, qui intersecat æquinoctialem circulum & intersecatur ab eodem in 2. partes æquales, & una ejus medietas declinat versùs septeintrionem, alia versus austrum. Dicitur *Zodiacus* vel à Græco *zoi* quod est vita, quia secundum motum Planetarum sub illo circulô est omnis vita in his inferioribus. Vel à *zodion*, quod est animal, cum enim zodiacus in 12. dividitur partes, quæq; pars nominatnr aliquô speciali nomine animalis, propter proprietatem illarum quam habent cum illis animalibus relativè ad cursum solis & effectum, quem præstant in inferioribus, & hæ partes, seu signa zodiaci tritis illis versibus exprimuntur.

Sunt: *Aries*, *Taurus*, *Gemini*, *Cancer*, *Leo*, *Virgo*.
Libraq;, *Scorpius*, *Arcitenens*, *Caper*, *Amphora*, *Piscis*.

Anni

Anni initium varium erat apud varios. Athenienses principium anni sumebant ab æstivo solstitio. Arcades à verno tempore; Romani à Martio, temporibus Romuli, quos sequebantur & Judæi, ut habetur Exodi 12. *Hic mensis erit vobis principium mensium anni:* nos vero Xtiani incipimus annum cum Ecclesia Romana à Januario, quia hoc mense salutem nostram operari dignatus est Redemptor noster cum sangvinem suum imò effuderit, ut nobis propitium redderet Deum patrem.

Annus alius est *astronomicus*, qui continet in se dies 365. & sex horas absq; minutis aliquot. Alius est *Civilis seu Politicus*, qui integris 365. diebus constat. Idem civilis subdividitur in *Solarem*, qui est accommodatus ad motum solis, continens in se 365. dies, & 6. horas non integras: & *Lunarem*, qui est accommodatus ad motum Lunæ, quarum singulæ, dies 29. circiter sibi vendicant: Constat autem Lunaris annus diebus 354 Rursus.

Annus Lunaris est 2plex: *Communis*, qui

cursum

cursum in spatio 12. Lunationum absolvit. Et *Embolismicus*, qui constat 13 Lunationibus, continens in se 383 vel 4 dies, undè Lunarem communem 30 diebus, Solarem vero 19 diebus superat. Porrò

Annus Embolismicus dicitur à Græco *Embolo*, quod latine sonat *iniicio*, seu interpono. Undè annus Embolismicus, intercalaris seu addititius dicitur, eò, quod in tali anno 30 dies, qui 13tiam constituunt Lunationem, adiiciantur. *Embolismus* itaquè est 30 dierum, nullius mensis propria, 13tii mensis in anno solari redundatio. Et hic mensis colligitur ex illis 11 diebus, quibus solaris communis, lunarem communem superat; in Lunari enim communi sunt 12 Menses, dies 354. in solari autem 365. & 6. horæ, sine aliquot minutis. *NB.* Lege hic Rubricam Breviarii de Anno ejusquè partibus.

Civilis annus Lunaris, qui versatur circa integros dies, estquè 2plex: *Communis*, qui simpliciter habet 365 dies, & unam tantum litteram Dominicalem, quales sunt omnes anni 1mus, 2dus, 3tius post bissextilem. Et *bissextilis*, in quo 2. litteræ

Dominicales concurrunt, qui constat diebus 366. integris. Dicitur autem *bissextilis*, à bis sexto, quia eô annô, bis pronuntiatur: *sexto Calendas Martii*, & una dies bis iteratur, & ab una littera Dominicali relicta (nam duæ sunt in anno bissextili) ad alteram, quæ sequitur, fit transitus. Dicitur alio nomine *Intercalaris* annus, latinè interpositus, quia in Februario, qui constat 28. diebus, fit interpositio unius diei 4to quolibet anno. Constituitur autem hæc dies, per decursum 4. annorum ex illis sex horis singulis annis astronomicis adhærentibus, qui minimô mensium Februario additur.

Q. Quis est modus cognoscendi annum bissextilem?

℞. Hunc esse: ex anno quovis currenti proposito, reiice millesimos, centesimos & ultimo vigesimos, quoties potes, tum si nihil remanserit post 20 erit hic idem annus bissextilis; si superfuerit aliquod residuum, per 4 dividatur; si autem non potest, & remanserit, si unum, erit 1mus post bissextilem, si 2, erit 2dus, si 3, erit 3tius, si solum 4, erit ipsemet bissextilis

Si

Si autem potest dividi per 4, dividatur quousqué poterit: Tum si post ultimum quaternarium maneat unitas, etiam primus annus erit post bissextilem & sic de aliis. Sic in anno 1760, rejecto mille & rejectis centum 7, omnibus; & divisis 60, in tria viginti, iisqué rejectis manet nihil, apparet quod ipsemet annus 1760, sit bissextilis: & quia anno 1761, rejecto mille, rejectis centum 7, diviso 60 in tria 20, ac rejectis, remanet unicus annus, apparet & sic est, quòd hic post bissextilem ɪmus sit.

Partes anni juxtà Solis accessum & recessum: sunt 4: Ver, Æstas, Autumnus, Hyems, quarum singulæ mensibus 3bus constant & totidem signis Zodiaci. *Ver* habet: Martium, Aprilem, Majum. Cum signis Zodiaci *Ariete*, *Tauro*, *Geminis*. *Æstas*: Junium, Julium, Augustum, cum signis *Cancro*, *Leone*, *Virgine*. *Autumnus*: Septembr: Octobr: Novembr: cum signis, *Libra*, *Scorpione*, *Arcitenente*. *Hyems*: Decembrem Januarium, Februarium, cum signis *Capro*, *Amphora*, *Piscibus*.

Anni accidentia, seu mutationes sunt

2. Æquinoctium & solstitium. *Æquinoctium est* æqualitas summa diei & noctis, subdividitur in *Vernum* quod fit, cum sol ingreditur signum *Arietis* circa 21 diem Martii. Et *Autumnale*, quando sol *Libram* ingreditur, tunc enim in æquilibrio est nox & dies artificialis, circa 22 diem Septembris. *Solstitium* verò est maxima diei inæqualitas; dicitur *Solstitium*, quasi *solis statio*, non quòd sol stare debeat, sed quia tunc sol, aut est in maximo accessu ad *Zenith* capitis nostri, aut in maximo recessu ab eodem *Zenith* ita, ut non altiùs ascendere, nec inferiùs descendere sol possit.

Nota Zenith nil aliud esse, nisi punctum quoddam firmamenti Capitibus nostris directè imminens, cui puncto è diametro opponitur punctum *Nadir* seu punctum pedis. Circa 1mum punctum dùm sol moratur, est meridies, dùm verò circa secundum, est media nox.

Solstitium est 2plex: *Æstivum*, quandò sol ingreditur signum cancri, longissimum efficit diem, quod evenit 21 Junii. *Hybernum*, quando sol ingreditur capricornum

ac

ac breviſſimum diem facit, quod ſit 22. Xbris, ut videre eſt in his verſibus:

Hæc duo ſolſtitium faciunt: *Cancer*, *Capric:*
Sed noctes æquant *Aries & Libra* diebus.

Anni inter partes, numeranda ſunt IV. Tempora anni, hoc eſt: ſingulis 4 anni partibus aſſignati ſunt dies tres ad jejunandum ab Eccleſia Romana Catholica, ſcilicet: Feria 4. 6. & Sabbathum, quò ſemper etiam ordines Eccleſiaſtici conferri ſolent: quandò autem accidunt? ſequentes ℣℣. docent:

Dant ſtata temporibus, jejunia quattuor, anni- (*Cineres*
Poſt ſe: *Pneuma ſacrum*, *Lucia*, *Crux*,

Poſt ſe id eſt poſt feſta: S. Spiritus, Luciæ, Crucis, & poſt Cineres.

Q. Eſtne totum aliquod temporis, majus anno, habens ſpecialem denominationem ſuam?

℟. Sunt plura, uti: Æleum. Sæculum. Luſtrum. Olympias.

Æleum eſt ſpatium mille annorum, ſeu ſecundum Phiſicos, eſt ſpatium, quod principium habet ſed fine caret. Deducitur à Græco *Eon*, quod ſignificat, æternam ætatem.

Sæculum, est spatium centum annorum, deducitur à *sequendo*, quod se tempora mutuò consequantur.

Lustrum, est spatium quinque annorum; à *Lustrando* nomen habet, quod in fine cujuslibet anni 5ti, ad initium Dictaturarum Cives Romani cum candelis urbem circuibant, & posthàc in campo Martio Dictatorem eligebant. Hinc dum canit Ecclesia *Lustra sex qui jam &c.* intelliguntur anni 30. vitæ Christi.

Olympias est intervallum 5. annorum. Vocatur autem *Olympias* a ludis Olympicis, qui in honorem Jovi Olympico in *Elyde*, maximo totius Græciæ conventu, 5to quolibet anno, juxta Alpheum fluvium celebrabantur.

Et hæc hucusqué præcedentibus Paragraphis dicta, sunt quasi præliminaria ad majorem intelligentiam eorum, quæ subsequuntur, manuducentia, modo sit.

§ V.

De Cyclo decemnovennali seu *de aureo numero.*

Cyclus decemnovennalis est revolutio annorum solarium ab unitate ad novem-

novemdecim, quâ revolutione peractâ, iterum ad unitatem pervenitur. Dicitur à Græco *Cyclos*, quod est *circulus*, quia hi anni 19num circulum faciunt, *Decemnovennalis* dicitur, quia annos solares continet in se 19.

Cyclus est 3plex: Lunaris, Solaris, & Indictionis. *Lunaris* est spatium annorum 19, quô omnes Lunæ diversitates, ad pristinam positionem redeunt, diciturqué *Lunaris*, quia luna motu suo per annos 19, in iisdem punctis soli conjungitur.

Nota Aureus numerus, Cyclus decemnovennalis, & Cyclus lunaris, idem sunt, & pro eodem sumuntur, quia idem significant.

Q. 1. Undenam dicatur aureus numerus?

℟. Inde, quod apud Romanos priùs ad habendam ætatem lunæ, singulis annis tabulæ inveniebantur, in quibus notabant tempus recessionis lunæ à sole, sed cum Astronomi Chaldæorum hunc numerum decemnovennalem invenissent, & Romam misissent, cujus summam utilitatem & facilitatem cùm vi-

dissent Romani, eum, non solum aureum numerum vocarunt, sed etiam in suis Calendariis aureis litteris notabant, ideoqué ad hæc usqué tempora aureus numerus appellatur. Apud nos vero scribitur colore rubeo. Terminus aurei numeri est ultima dies Xbris, initium vero Ima Januarii.

Q. 2. Quis usus est aurei numeri?

R. Ante correctionem Calendarii usus illius fuit, ut per eum Novilunia & festa mobilia invenirentur. Post correctionem verò Calendarii vel maximè conducit Epactam inveniendi cujusvis anni, ex qua & Novilunia, & festa mobilia cognoscuntur, ut infrà dicetur.

Q. 3. Quomodo inveniendus est aureus numerus?

℟. Usitatissimus modus per divisionem; hoc modo: Anno Domini cujus numerum inquiris aureum, adde unitatem, & collectum divide per 19. quod remanserit post finitam divisionem, illud pro numero aureo statuendum, nullâ ratione habitâ quotientis.

P. Merati eandem doctrinam sic confirmat

firmat & exemplificat per suum annum, quô eam declarabat:

Anno Domini dato, additur unitas, summa dividiturper19,(nullâ vero habitâ ratione quotientis) numerus enim qui ex divisione remanet, erit aureus numerus propositi anni, at si nihil remanet, erit idem 19, aureus numerus quæsitus. Ut autem facilior reddatur divisio per numerum 19, oportet prius multiplicare 19 per duo, per tria, per 4. &c. & dabit sequentes summa 38. 57. 76. 95. 114. 133. 152. 171. 190. Nunc per subtractionem unius vel alterius istorum numerorum fiet citius divisio.

Exemplum est tale: vis vg. Anni 1734. scire aureum numerum, adde ultimo unitatem, fit summa - - - - 1735.
Proximus minor numerus unus ex prædictis subtrahendus sic collocat: 171.
- - - - - remanet 0025.
Denuo subtrahitur minus - - 19.
Remanet pro anno 1734. aureus numerus - - - - - - - - - 6.

Exemplum aliud: Datus sit annus 1747, cui additur unus, fit summa 1748, quæ

divisa

divisa per 19, nihil remanet (quia 92 multiplicatus per 19, producit juste 1748.) igitur idem divisor 19, erit aureus numerus anni 1747.

Nota aureus numerus sic inventus, est fundamentum inveniendi Cyclum Epactarum pro eodem anno.

§ VI.

De Epactis.

Epacta nil aliud est, quam numerus dierum, quibus annus solaris communis, annum communem lunarem superat. Superat autem II. diebus. Unde fit ut Epacta Imi anni sit II. & novilunia in sequenti anno prius undecim diebus accidant, quam præterito anno. 2di anni est Epacta 22. ideo etiam Novilunia eodem anno prius 22 diebus evenient. 3tii denique anni erit Epacta 33. à quo numero reiiciuntur 30 diesqui tredecimã lunationem constituunt, 3 tantum pro Epacta relinquentur sequentis anni, atque ita deinceps.

Nota 1. Has Epactas provenire per continuum augmentum II. dierum illorum quibus solaris lunarem superat.

Nota

Nota 2. Numerum Epactarum 30. non ſcribi expreſſe in tabellis ſed notari ſtellulâ * quæ vulgo vocatur aſteriſcus, quia quilibet numerus 30. in Epactis abiicitur quoties poteſt, hæc enim ſtellula indicat novilunia, ut & aliæ Epactæ.

Q. 1. *Unde dicitur Epacta?* ℞ a Græco *Epi*, quod ſignificat *ſupra* & *aucta* quod ſignificat *augmentum:* & dicitur Epacta quaſi ſupra augmentum. Oſtendit enim quot diebus, ſolaris annus anno lunari communi augeatur.

Q. 2. *Ad quid valet Epacta?* ℞. Ad inveniendùm Novilunium, quia ubicunquè inventa fuerit Epacta, ibi indicabitur eſſe Novilunium & ex Novilunio, Plenilunium, tandem feſta mobilia deprehendentur.

Q. 3. *Quis eſt modus inveniendi Epactam?*

℞. Modus inveniendi Epactam eſt etiam per ſpeciem Arithmeticæ, qui eſt talis. Anni, cujusvis invenire Epactam, invenias aureum numerum, tandem invento adde 10. collectam ſummam, per 11. multiplica, productum quod proveniet ex multiplicatione, divide per 30.

reſi-

residuum habebis pro Epacta anni propositi, dummodo nulla habeatur ratio quotientis.

P. *Merati*: Pro invenienda Epacta hanc tradit regulam. Aureus numerus inventus anni, multiplicatur per II. & productum dividitur per 30. si erit majus 30. id quod remanet ex detractione 30. erit Epacta vetus. Pro annis vero post correctionem factam anno 1582. ab Epacta veteri subtrahitur 10, usqué ad Annum 1699, inclusive. Ab anno verò 1700, usqué ad annum 1899 inclusivè, subtrahitur II. &c. isti numeri subtractivi in singulis 100mis videantur in tabula æquationis quæ infra subiicietur: si subtractio fieri nequit addatur Epactæ veteri numerus 30. & fiat subtractio, quod vero remanet, erit Epacta anni propositi.

Exemplum vg. pro anno superius allato: 1734. inventus est ut supra aureus numerus 6. qui multiplicatus per II. producit 66. à quo abiiciatur bis 30. remanet pro Epacta veteri 6. â quo detrahenda est æquatio II. debita centesimo,

1700.

1700. at non poteſt fieri, igitur addatur 30 ut fiat 36 à quo nunc auferatur 11, & remanet numerus 25. pro Epacta 1734. & ſic de cæteris annis procedes ſimiliter. Circa autem Epactam numero tali 25, expreſſam.

Obſerva I. quod notat P. Merati quia Epacta 25 bis notari ſolet, ſed diverſo charactere, una ſcilicet cum charactere antiquo ſeu latino tali modo XXV. Altera cum charactere Arabo ſeu Arithmetico ita: 25. numerus antiquus XXV. in tabula Paſchali collocari debet e regione Epactæ XXIV, & literæ C; numerus vero Arithmeticus 25 poni debet in eadem linea Epactæ XXVI. & literæ B. Quem ordinem plerumqué Typographi non obſervant. Quando igitur in aliquo anno cadit Epacta 25, & quæ nam ex 2bus eligenda ſit in tabula, dubitetur, tunc reflectendum prius eſt ad aureos numeros, ſi enim illo anno cadit aureus numerus minor quam 12, tunc aſſumitur Epacta XXV. quando verò aureus numerus erit major quã 11, tunc ſumitur Epacta 25, charactere

Ara-

Arabo seu Arithmetico. *Exemplum:* Anno 1734, Epacta est 25, & aureus numerus 6, igitur tam in tabula perpetua Paschali, quam in Calendario Breviarii ac Martyrologii, accipienda est Epacta XXV, charactere latino vel rubeo tincta colore.

Observa 2. Omnes Epactæ rubei coloris in Breviariis & Missalibus positæ sunt loco characteris antiqui latini: illa autem sola 25. nigra pro charactere Arabo: quia in illis Typographi imprimere solent omnes Epactas cum charactere Arabo seu Arithmetico.

Nota prô Epacta, de qua supra actum est, & pro literâ Dominicali, de quâ statim agetur §. sequ: apponetur infra, tabula æquationis in singulis centesimis ad inveniendum hanc & illam: jam modo sit

§. VII.

De Litera Domninicali.

Litera Dominicalis, est litera ostendens cujuslibet anni diem Dominicum: quæ literæ Dominicales sunt 7. A, B, C, D, E, F, G, quarum singulæ singulos di-

es

es Dominicos denotant. Dicuntur autem literæ Dominicales, non quod omnes simul designent diem Dominicum, sed quod quælibet earum successive possit esse litera Dominicalis.

Utilitas literæ Dominicalis est maxima, nam per eam investigatur tempus, sive dies Paschatis celebrandi, & aliorum festorum mobilium.

Nota Evenire aliquando, ut 2, literæ Dominicales eodem anno sint, & hoc propter annum bissextilem, nam huic anno, additur una dies, & prima quidem litera Dominicalis servit à festo Circumcisionis ad festum S. Mathiæ, sequens verò litera à festo ejusdem usquè ad ultimam diem Xbris, aliis verò annis tantùm una litera.

Q. Quis modus est inveniendi literam Dominicalem?

℟. Ex P. Merati hic modus est seu Regula: numerus annorum Xti datus, dividitur per 4, & quotiens additur eidem numero annorum Xti, & insuper numerus etiam 5, ad correctionem Grēgorianam 1582: sed post hanc correcti-

onem

onem usqué ad annum 1699 é contrario aufertur 5 à dicta summa, Ab anno verò 1700 aufertur 6. &c. (ut notatur in sequenti tabella æquationis prò plurimis centesimis) residuum verò dividitur per 7, nullo habito respectu quotientis, consideratur tantum numerus qui superest post divisionem & hic numerus indicabit in sequenti ordine literarum, literam Dominicalem anni propositi. Si verò post divisionem per 7 nihil superest, tunc ipsemet 7 indicabit literam A. In annis autem bissextilibus quia adhibentur 2 literæ, ideo accipienda erit in dicto ordine literarúm etiam altera litera antecedens inventæ, hæc autem antecedens indicabit diem Dominicam à Januario usquè ad festum S. Mathiæ, & ab hoc festo usqué ad finem anni serviet Ima litera inventa cum prædicto computo.

Literarum Dominicalium:

Ordo G.F.E.D.C.B.A.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

I. Exemplum

Datus sit annus 1694, pro quo quærenda

renda sit litera Dominicalis: dividitur

annus per 4.	1694.
quotiens	423. 2.
eorum summa	2117.
hoc residuum	5.
dividit: per 7.	2112.
non considera:	
qotiens 301.	301. 15.

Sed quod remanet, id est 5. qui in ordine indicat literam C. quæ erit litera Dominicalis dati anni 1694. ædi post bissextilem, quia in supra dicta partitione anni per 4 remanet ultimo numerus 2.

Tabula æquationis in singulis centesimis ad inveniendam Epactam & literam Dominicalem in quolibet dato anno.

S

Anni

Anni Christi ante correction: 1582.	æquatio. Pro Epacta nihil	Pro lit: D. addit: 5.
Post Corre:	Subtrahit:	Subtrahit:
1582.	10	5.
Bi: 1600.	10.	5.
1700.	11.	6.
1800.	11.	7.
1900.	12.	8.
Bi: 2000.	12.	8.
2100.	12.	9.
2200.	13.	10.
2300.	14.	11.
Bi: 2400.	13.	11.
2500.	14.	12.
2600.	15.	13.
2700.	15.	14.
Bi: 2800.	15	14.
2900.	16.	15.
3000.	16.	16.
3100.	17.	17.
3200.	17.	17.
3300.	17.	18.
3400.	18.	19.

Exemplum II.

Per - 4.	1732.	Anni, quæritur
Qnotiens	433.	litera Domini-
Summa -	2165.	calis, qui divisor
Aufertur	6.	per 4. dat quo-
Divid: per 7.	2159.	tientem 433. &
Quotiens	3.	post divisionem

nihil remanet, igitur hic annus erit bissextilis, fiat summa anni 1732. & quotiens 433. quæ erit 2165. à quâ summa aufertur numerus 6 præmissæ tabulæ æquationis, & remanet 2159. hoc residuum dividitur per 7, & quotiens non consideratur, sed quod superest post divisionem, hoc est numerus 3, qui in prædicto ordine literarum ostendit literam E esse Dominicalem dati anni 1732. At quia hic annus est bissextilis, ideo accipienda est etiam altera litera antecedens F, quæ indicabit diem Dominicam in Januario & Februario, usqué ad festum S. Mathiæ: litera verò E Ima inventa cum prædicto calculo serviet ab hoc festo, usqué ad finem anni 1732. Sic cæterorum annorum quæres literam Dominicalem.

§. VIII.

De Festis Mobilibus.

Festa Mobilia illa vocantur, quæ penes ascensum aut descensum lunationum celebrantur nullum certum locum ac fixum in Calendario habentia: suntqué 2plicia:

Magis principalia, ſ. Septuagesima, Quinquagesima: seu Dies Cinerum, Pascha, & Pentecostes. *Minus principalia* sunt: Ascensio Domini, Festum Ssmæ Trinitatis, Corporis Xti, & Adventus Domini.

Festa immobilia ea sunt, quæ habent diem determinatum in Calendario ut sunt: Nativitas Xti, Circumcisiò, Epiphania, Festa B. V. M. & aliorum SS.

Nota Festorum mobilium omnium maximè præcipuum est Pascha, ad quòd tanquam Imum mobile cætera quoqué moventur. Inventó enim Paschate, facile cætera mobilia inveniri possunt. Unde hic de illò prius, de cæteris posterius agemus.

1. *Pascha* est vox Hæbrea, deduciturqué ab *Ppasch* quod significat *transitum.*

A Judæis dicitur *Pesoch*, & celebratur ideo, quia filii Israél siccis pedibus mare rubrum præduce Moyse transierunt, & sic liberati erant de manu Pharaonis Regis Ægypti. Alii volunt deduci Pascha a Græco *Paschi*, quod significat *Patior* quia tunctemporis Xtus passus est pro nobis. Apud nos igitur Pascha celebratur in memoriam Resurrectionis Xti Domini, per quam factus est nobis transitus de morte ad vitam æternam. Antequàm autem ad investigationem Paschæ descendamus, 4 scitu necessaria maximè observanda sunt. Imò quòd in Conciliis ac Decretis SS. Pontifices sanxerunt ut post Æquinoctium verum Pascha celebretur. 2. Æquinoctiô vernô Ecclesia assignat certum ac determinatum locum, scilicet 21 Martii diem, ex quo solet considerare lunam 14. *3tio* Consideranda luna 14 primi mensis: Primus autem mensis dicitur ille, cujus luna 14 cadit vel in æquinoctium vernum, vel etiam post æquinoctium, cum sol est vel in principio, vel in aliquo gradu Arietis. *4to* Considerare

oportet Dominicam Imam, post illam lunam 14tam institutam, etenim est, ut semper Pascha celebraretur Dominica ima post lunam 14, hoc est 15, 16, 17. Ratio hujus est, ne scilicet cum Judæis in celebranda Pascha conveniamus, quia Dominica Ima post Pasaha Judæorum, salutis nostræ Author resurrexit.

Nota 1. Cognitionem terminorum ipsius celebrandæ Paschæ, pertinere ad investigandum festum Paschæ. Est autem terminus celebrandæ Paschæ dies 22 Martii, usqué ad diem 25 Aprilis inclusivè, intra quos dies Pascha celebrari debet.

Nota 2. Terminos noviluniorum Paschalium esse hos 8. Martii usqué ad 5 Aprilis.

Nota 3. Ad hanc investigationem Paschæ pertinere quoqué & ipsam cognitionem Epactæ currentis, anni propositi, tum & literæ Doninicalis. Quâ habitâ Plenilunium inquiratur, sive luna, 14, quæ si venerit in diem Dominicum, festum Paschæ transferendum est in sequentem Dominicam propter rationes

supe-

ſuperiùs allatas. Si vero luna 14. inciderit in alium diem hoc eſt vel feriam 3, 4, 5, 6, vel etiam in ipſum Sabbathum tunc proximè venturo die Dominico debet celebrari Paſcha, quæ ſecundum curſum novilunii quomodo ſit inveſtiganda, deſignant hi verſiculi.

Poſt Martis nonas ubi ſit nova luna requires, (ſequatur.
Bis ſeptem completo dies, dein Paſcha

Modus inveniendi Paſchæ eſt talis: *1mo* Inveniatur novilunium Paſchale. *2do* Ad diem novilunii adiiciantur 3, ut ſit luna 14 ſeu plenilunium Paſchale. *3tio* Inveſtigetur dies hebdomadæ, in quem luna 14 Paſchalis inciderit *4to* Videndum, quot dies numerentur poſt diem lunæ 14, uſquè ad Dominicum diem, numerus enim additus horum dierum ad diem lunæ 14, dabit diem Paſchæ.

II. Quantum ad *cætera feſta mobilia*: iſta facile inveniuntur, inventô Paſchate, tali ratione: numera 6 dies Dominicos ordine ante diem Paſchæ, & habebis 1mam Dominicam Quadrageſimæ, & proximè præcedens fera 4ta, erit dies

Cinerum, quam Dominica præcedit Quinquagesimæ tandem Sexagesima & Septuagesima. Si vero post Dominicam Paschæ, 5tam Dominicam statim sequentur dies Rogationum, & proxime sequens feria 5ta declarabit Ascensionem Domini, 7mâ autem Dominicâ celebrantur dies Pentecostês, quibus statim succedit Dominica Ssmæ Trinitatis, & feriâ 5tâ proximâ celebratur festum Corporis Xti.

III. Quantùm ad *Adventum Domini*: is principium suum sumit ab eâ Dominica, quæ festo S. Andreæ vicinior est, aliquando in ipsum festum incidit. Patet tamen posse celebrari Dominicam 1mam Adventus tribus diebus ante vel post ipsum festum: ultra non datur.

IV. Quantùm verò ad *numerum Dominicarum* inter Pascha & Pentecosten hic facillime potest investigari. Videndum est quot sint Dominicæ à Dominica Paschæ exclusivè ad festum S. Georgii inclusivè, quod cadit in diem 23 Aprilis. Hoc est quoties hic numerus 7, in diebus post Pascha usqué ad diem S. Georgii

Georgii inclusive possit esse, tot Dominicæ ad illas 24 post Pentecosten addendæ sunt. Quodsi nulla inventa fuerit Dominica sive numerus dierum 7 usqué ad festum S. Georgii, hoc est pauciores dies, vel Pascha in ipsum inciderit diem S. Georgii, tunc erunt 24 tantum Dominicæ post Pentecosten ad Dominicam Imam Adventus: si denique post eundem diem hoc est si 24 Aprilis Pascha celebraretur essent tantum Dominicæ 23 inter Adventum & Pentecosten. Et hæc de Computo Ecclesiastico hic jam sufficient, ad cujus majorem intelligentiam legatur Rubrum Breviarii de anno, ejusqué partibus &c. P. Merati quoqué consulatur.

INSTRUCTIO VIII.

De Cantu Chorali.

Priusquam instruere in cantu chorali Tyronem Seminarii incipiam, aliqua de illo præmittenda sunt. Cantus Choralis ex eo sic dicitur, quod sit proprius Personarum Choro addictarū, seu administeriū Ecclesiæ: & altaris destinatarū uti sunt

Sacerdotes & alii in Ordine Levitarum constituti. Ecclesia enim Dei, semper fuit imitatrix illius Cœlestis Hierarchiæ, in quâ incessanter canticum Deo decantatur, atqué voluit ordinando, ut sicut in Cœlis Angeli ingeminantes incessabili voce proclamant *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, ita hic in terris Cantica eidem Deo decantentur ab illis, qui instar Angelorum esse debent. Quoniam vero in Hierarchia cœlesti Beatorum, inter Choros Angelorum, summa uti animorũ, ita canticorũ Dei harmonia ac concordia esse certo certius autumatur, ita quoquè in Choro Ecclesiæ decantantium Dei laudes vocum dissonantia procul abesse debet, & omnis turbo amovendus, qui vocum consonantium ac Deo psallentium debitam harmoniam disturbaret. Quomodò autem voces Deo canentium in unum cantici tonum concordabunt? si ars cantûs choralis in Seminario negligatur? Ideò non frustá Concilii Decretum in cantu chorali Tyrones Seminarii instruere voluit, ut debitus in choro Ecclesiæ decor,

decor, atqué ordo semper, & continuò conservetur. Obtendunt in rei veritate plurimi plerumqué negligentiæ suæ frivolas rationes, sed levi momento refelluntur. Dicunt alii numquid ego Cantor sum ut cantum discam? Hæc verba aut tumorem mentis intolerabilem in Clerico redolent, qui procul à Seminario expellendus est, aut supinam negligentiam, quæ etiam in Seminario tanquam in loco exercitii bonarum artium ut ait Tridentinum C. pariter corrigenda est. Mi Charissime dum statum hunc elegisti, & Seminarium accessisti, jam cantor Dei, ex mente Concilii esse voluisti, Sacerdotis enim est non solùm legere Missam, sed & canere: Non dedignaris Cantoris titulum si forte Prælatura contingat, dedignaberis per artem honestam Deo ordinatè canere? Canere in choro Psalmos & cantica non solùm simplices tenentur Sacerdotes, sed quos etiam urget præsentia turni; lege Doctores, quantùm etiam 1mæ & 2dæ classis Sacerdotes, non tantò verò de simplici Presbyteri, ad chorum obligati,

gat, canere in choro teneantur. Cantus, dicis, ad Cantores, choraulas pertinet, non verò insigni in Ecclesia dignitate nitentes; tu qui infulas mente aut biretum altiùs capiti aptandum tuo præconcepisti, habes tot Antistitum cæterorumqué Prælatorum exempla, qui ad amussim Decreti Concilii Tridentini in Seminario efformati, hoc etiam in puncto illud implere studuerunt atqué student. Non erubuerunt in antiqua Ecclesia Dei, Principes populi, Deo psallere, & laudem ejus decantare: imo inter Cantores Ecclesiæ annumerari, sic Esdræ 2. cap: II dicitur: *Et Episcopus Levitarum in Jerusalem, Azi filius Bani, filius Hasabiæ, Cantores in Ministerio Domus Dei. In diebus* autem *David & Asaph ab exordio erant Principes constituti Cantorum, in Carmine laudantium, & confitentium Deo*. 2 Esdræ 12. Cantores, dicis habebo, choraulas, atqué organarium; quid ergo? ideone negligere debes quod scire ex decreto Concilii obligaris? tum, si illi perfectiores te Ecclesiasticô virê, in cantu Ecclesiastico se esse de-

pre-

prehendent, te verò plane hac in re rudiorem, facile hoc hominum genus ex levi re ſuperbire, facilè te Parochum contemnent, ex hac parte meliores ſe, quam te judicando. Tum, ſi ignarus artis *Gloria* vel *Credo* aut *Ite miſſa eſt*, intonabis ex clavi *B.* cui reſpondendum à choraula perito ex clavi G, qualis in Templo quæſo vocum ſervabitur conſonantia? aut tunc primùm iſtorum ad Altare, vel Pſalmorum, Hymnorum, Canticorum iu Choro, tonum compones, cum jam peritè & juxta regulas intonanda ſunt, qualis inquam in his ac RRiis, vocum conſonantia in Eccleſiis erit? par illi, certè quæ eſt in Scholá Judæorum, cum ſcandalo, cachinno & cenſura populi! Ideoquè tales, qui hâc vanâ perſvaſione & negligentiâ præuenti ſunt: negligentiam ac ſimiles perſvaſiones, ut abiiciant, neceſſe eſt. Viri perfecti judicio, dum perfici volunt in Seminario, bene ſecum judicant, quòd bonum ex integra cauſa, malum ex quovis defectu. Non ſolùm notitia Scræ Scripturæ, caſuum Theologiæ moralis,

scientiæ Scholasticæ, aliarumque artium acquirenda est, quia hæc necessaria sunt ad directionem aliorum, sed etiam ars cantûs Choralis Ecclesiastici comparanda, quia hæc ad decorem Ecclesiæ Dei similiter est necessaria. In Novitiatibus Claustrorum suorum, Novitios suos, suis tonis ad chorum & altare instruunt Religiosi, ita, ut diverso modo tonos suos producant à nostris, quia sic eos congruere Religiosis judicant: Ergo Seminarista hac artem & hos tonos cantus choralis addiscere conari debet, quos in Psalteriis, Antiphonariis, processionalibus uniformiter utiqué præscripsit Ecclesia, ut suo tempore ex illis canere & chorum condecorare possit in Choro, Processionibus, Officiis Defunctorum ac aliis casibus occurrentibus. Quapropter præsens datur Instructio, cuius § I. aget de fundamentis cantus choralis 2. De Tonis Psalmorum Canticorum ac eorum differentiis 3. exhibebit intonationes pro *Gloria* pro *Credo* 4. pro *Ite missa est.* 5. pro lectione Evangelio &c. &c.

§. I.

§. I.

De Fundamentis Cantûs Choralis ejusque exemplis per varias figuras exhibitis.

CAntus Choralis habet claves septem, ABCDEFG, Notas verò sex: *Ut, Re, Mi, Fa, Sol, La.* Cantus Choralis est 3plex: Naturalis, Durus, & Mollis. *Naturalis* habet tantùm signa hæc C. & 1mum solet poni superiùs, & denotat clavim C, 2dum ponitur inferiùs & denotat clavim F. ambo hæc signa solent simul poni in lineis, ita ut unum ab alio tertiâ distet lineâ, unâ intermediante, ut patebit in lineis. Aliquando verò unum tantùm signum ponitur quod fit ob carentiam loci & distantiæ convenientis illis signis, dum scilicet vel superius signum ad inferiores lineas ob incidentiam accentûs acuti demittitur, & tunc inferius cedit; vel dum signum inferius ad superiores lineas ob gravitatem accentûs attollitur, & tunc superius cedit ob carentiam loci sibi convenientis *Durus* præter signa illa communia habet insuper signum speciale ♮. quod

communiter solet poni in clavi B. Notæ, huic signo subjacentes, debent duriùs & cum majori expressione cantari, quàm in cantu naturali. *Mollis* præter dicta signa communia habet suum speciale, tale *b*, quod communiter solet poni in clavi B: Notæ taliter signatæ debent molliùs & represso sono cantari. *Dixi* signa specialia cantus duri & mollis hæc ♮ & *b* communiter collocari solere in clavi B, quia aliquando aptè collocantur in aliis clavibus quando id tonus vel accentus exigit.

Adverte 1mo. Quod hæc tantùm notæ cantantur durè vel molliter, quæ sunt notatæ signo duro vel molli, reliquæ vero naturaliter: aliquando enim una tantum nota signatur signo speciali, aliquando plures, non tamen omnes, & tunc est cantus mixtus. Si verò per totam Prosam, Antiphonam, Responsorium, cuilibet initio lineæ est appositum signum durum vel molle, tota quoquè Prosa, Antiphona, Responsorium erit in cantu duro vel molli juxta exigentiam signi appositi.

Adverte

Adverte 2do Claves in omni cantu ſunt eædem: notæ vero in cantu molli ſunt diſtinctæ & diverſæ à notis cantûs duri & naturalis, non quò ad ſonum, ſed quod aliis diverſis clavibus applicentur.

Adverte 3tiò Clavis quælibet duas habet notas, quarum prior ſervit aſcenſui, poſterior deſcenſui. Aſcenſus autem omnis in quolibet cantu tam naturali quam duro ac molli incipit ex nota ut, deſcenſus verò omnis ex nota la, ſed non in omni cantu ex eadem clavi. Quare in *cantu duro & naturali* aſcenſus quilibet incipit vel ex clavi C, vel ex clavi G. Ex clavi C tunc, dum notæ eunt ſupra E: ex clavi G tunc, dum notæ eunt ſupra A. Deſcenſus quilibet incipit vel ex clavi A, vel ex clavi E. Ex clavi A tunc, dum notæ erunt infra G, ex clavi E tunc, dum notæ eunt infrà G, eæ clavi E tunc, dum notæ eunt infrà C. In *cantu molli* quilibet aſcenſus incipit vel ex clavi F, vel ex clavi C: ex clavi F tunc, dum notæ eunt ſupra A. Ex clavi C tunc, dum notæ e unt ſuprà D. Deſcenſus ve-

rô incipit vel ex clavi D, vel ex clavi A. Ex clavi D tunc, dum notæ eunt infra C, ex clavi A tunc, dum notæ eunt infrà F.

Nota hic 1mo Dicta de ascensu & descensu intelligenda esse de tali tàm expressè quàm occultè posito: Quare vg. si in G non ponatur nota, ponitur autem in aliis clavibus ita, ut notæ eant suprà A (non semper enim ponitur nota in qua ascensns vel descensus cani debet, sed subintelligitur) tunc in A canitur *re*, in B *mi*, quia supponitur ascensus ex G occulto. Idem applicandum proportionate descensui.

Nota 2do Si notæ positæ non ascendant, id est, non transscendant clavim, quâm juxta requisita ascensûs transscendere debent, nec etiam positivè descendant, id est, non eant infrà clavim, infra quam ire debent, arbitrio cujusqué relinquitur canere vel ascensum vel descensum quia tunc erit ascensus vel descensus negativus juxta situm notarum.

Nota 3tio Ascensus canitur hucusqué quo-

quousqué positivè non incipiat descensus. Similiter descensus, licet notæ ascendere vel descendere videantur id est ire superiùs vel inferiùs.

Pro faciliore horum ascensuum & descensuum intellectione, & memoriæ impressione advertendum est, claves ascensûs correspondere clavibus descensûs, scilicet: in cantu naturali & duro clavis C correspondet clavi E. Clavis G clavi A tunc ergo ascensus canitur in C, quândo notæ eunt supra clavim correspondentem sibi, scilicet supra E. Descensus tunc canitur ex E, quando notæ eunt infra clavim correspondentem sibi scilicet infra C. et sic de aliis. In cantu autem molli clavis F correspondet clavi A, clavis C clavi D. Reliqua hic

Nota 1mo. In omni cantu claves hoc ordine ascendunt ABCDEFG, descendunt vero retrogradè sic: GFEDCBA. Notæ sic ascendunt *Ut*, *Re*, *Mi*, *Fa*, *Sol*. *La*, descendunt *La*, *Sol*, *Fa*, *Mi*, *Re*, *Ut*.

Nota 2do. Textus nunquan canitur suprà notas ligatas aut caudatas, sed tra-

hitur ad truncatas vox, quibus ſubſcriptus eſt textus. Nota truncata eſt talis ♦, nota caudata eſt talis ♦ ♦ &c.

Nota 3tio. Signa communia ſcilicet C & 𝄞 nunquam ponuntur inter lineas, ſemper in lineis, niſi per errorem Typographi, quo caſu ad propria loca reducenda ſunt. Hæc enim duo ſigna in omni cantu chorali cantantes dirigunt ut ſciant quæ clavis ubi ſit, & conſequenter, quæ notæ clavibus applicandæ. Plura te tabulæ ſequentes, & uſus magiſter docebunt.



TABULÆ
Clavium & Notarum.

In Cantu Naturali & Duro.		In Cantu Molli.	
Aſcendendo	Deſcendendo	Aſcendendo	Deſcendendo
A. re	la	A. mi.	la.
B.mi	mi	B. fa.	fa.
C. ut	fa	C. ut.	ſol.
D. re	ſol	D.re.	la.
E mi	la	E.mi.	mi.
F. fa	fa	F. ut.	fa.
G. ut	ſol	G. re.	ſol.

EXEMPLA
ASCENSUUM & DESCENSUUM

Simplex a-scensꝰ & de-scensꝰ in cantu natu-rali & Duro.



Compositus ascensus & descensus in utrôque Can-tu.



Alia

[illegible] in utroque cantu sub signo, in alio loco posito.

Item Alia mutatō signō

Item Alia mutatō signō.

Fi.



Figura sim-plex in mol-li Cantu.




Figura Cõ-posita in e-odem Cantu



Alia Figura mutatõ signo



Item Alia mutatió si-gnô.



Item Alia mutató signō



Alia Figu-ra Cantûs Naturalis.

Per



Per 3tias



Per 4tas



Per 5tas

Per 6tas






§. II.
DE TONIS PSALMORUM & CANTICORUM, Ac eorum differentiis.

Tonus

Tonus primus.





Differen 1ma.



Differentia 4ta

Differentia 4ta.

Adã prim9 homo

Differentia 5ta.

Adã prim9 homo

Sive vers9 mediũ cadat in Monosyllabã sic canitur vel Peregrinã

Credidi propterquod locut9 sum:

altera me dictas ut suprà.

Tonus Secundus.

Se cundus No e.

Dixit Dominus Domino me o:

Sede a dextris me is.

Si medium vers9 cadat in monosyllabam canitur sic vel si sit dictio Peregrina

Credidi propter quod locut9 sum: x

Ma gni fi cat ani ma me a Do minum.
ꝟ Be ne dictꝰ &c. &c.

Tonus tertius.

Tertius Abraham. Dixit Do minꝰ Do mino meo: ſede

a dextris meis. Ma gni ficat anima mea Dominum.

Si versus medium cadat in dictionem Monosyllabam vel peregrinam canit sic:

Qui confidunt in Domino sicut mon Sion:

alia medietas ut supra

Differentia 1ma. Tertiꝰ Abraham

Differentia 2da. Tertiꝰ Abraham

Dif. ferentia 3tia. Tertiꝰ Abraham

Differentia 4ta. Tretiꝰ Abraham

Tonus Quartus.

Q ua tu or Evange li stæ. Dixit Dominꝰ Domino meo:

ſede a dextri meis. Ma gni ficat anima me a Do minum.

Si vero verſus medium cadat in dictionem Monoſyllabam v Peregrinam id eſt Græcam v. Hæbraicam ſic:

Niſi quia Domin9 erat in nobis dicat nuɯc Iſrael: Reliquum ut ſupra.

Differentia 1ma. Quatuor E vangeliſtæ

Differentia 2da. Quatuor E vange liſtæ

Tonus Qintus

Tonus Quintus.




QuinqueLibriMoyũs. Dixit Dominꝰ Domino meo: ſede a dextris meis.



Magnificat anima mea Dominum. Quinq;libriMoyſis Quinq; libri Moyſis

Si vero medium verſûs cadat im Monoſylabã vel Peregrinam dictionem, ſic canitur:



Dominus regnavit decorem indutꝰ; eſt, &c, & præcinxit ſe.

Tonũs Sextus

Tonus Sextus.

Sex hydriæ positæ. Dixit Dominus Domino-

meo: sede a dextris meis Magnificat anima mea Dominũ

Si versûs medium cadat in dictionem monosyllabam vel peregrinam sic canitur:

Deus in nomine tuo salvum me fac: & in virtute tua judica me.

Tonus Septimus.

Tonus Septimus.

Septem Scholæ artes. Dixit Doming Domino meo: ſede á dextris meis.

Magnificat anima mea Dominum. | differentia 1ma | 7 StScholæ artes | Differentia 2da. | 7 St Scholæ artes

Si verſus medium cadat in dictionem monoſyllabam canitur ſic:

Memento Domine David: & omnis manſvetudinis ejus.

Tonus Octavus

Tonus Octavus.

Sed octo sunt par tes. Dixit Domin9 Domino me o: sede a dextris meis.

Ma gni ficat anima mea Dominum.

Differentia 1ma. Sed 8st partes

Differentia 2da. Sed 8st partes

Differentia 3tia. Dixit Domin9 Domino me o: sed a dextris meis.

Si versum medium cadat in monosylla: siccan In convertendo.

Domin9

Dominus captivitatem Sion: facti sum9 sicut consolati.

TonusNonus. Habet partes duas.

Peregri nus. *sic incipit Psalmus.* In exitu Isra el de Ægypto: domus

Jacob de populo barbaro, *Reliquum Psalmi canitur sic:* Fa cta ste Judæa sancti fi ca tio e jus: Israel

Israel potestas e jus.

Quodsi non cadat in Monosyllabam dictionem peregrinam, canit ita ad medium, a medio ut supra.

Laudate pueri Dominum: laudate &c. &c.

§. III.

INTONATIONES PRO GLORIA:

In Festo 1mæ Classis,

Glo ria in ex cel sis De o.

2dæ Classis & in duplici.

Glo ria in ex cel sis De o.

De Mar-

De Martyribus.

De Martyribus.

Glo ria in ex celsis Deo.

De Confessoribus.

Glo ri a in ex cel sis De o.

De Virginibus.

Glo ria in ex cel sis De o.

De simpli-

De simpli-ci & Fe-ria.

Glo ria in ex cel sis De o.

In Domi-nicis per annum.

Glo ria in ex cel sis De o.

Paschale.

Glo ria in ex cel sis De o.

De Beatâ

De Beata V. M.

Glo ria in ex cel sis De o.

In adventu & per octavam de B V. M. ut de Virginibus supra.

§ IV.

INTONATIONES PRO CREDO.

In Festo Imæ Classis

Cre do in u num De um.

In Duplici

In Duplici & per Octavas.

Credo in unum De um.

In Dominicis per annum.

Credo in unum De um.

Paschale

Cre do in unum De um.

In Nativitate Xti Domini.

Credo in unum Deum.

Ad libitum quocunq; festo canendu

Credo in unum De um.

Aliud ad libitū quocunq; festo canendum.

Credo in unum Deum.

§. V.
INTONATIONES PRO ITE MISSA EST & Benedicamus Domino,

In Festo Imæ Classis

I te Mis sa est.

Nota bis. & sequntibusnotis aplica Benedicamus Domino

Romanum.

Ite e Missa est.

Gallicum

Gallicum.

Ite Missa est.

2dæ Classis.

I te Missa est.

De Duplici & per Octavas.


Ite Missa est.

De Apostolis

De Apostolis



De Martyribus.



De Confessoribus.



De Virginibus

De Virginibus.



In Dominicis per annum.



Da Paſſione Domini.



Paſchale Solenne.

Paschale Solenne.



Pertempus Paschale.



De B V M Solen ne.



Missa est.

In votivis de B. V. M.

I te Missa est

In Adventu de B. V. M

I te Mis sa est

In Feriis adventûs & 40ſmæ.

Benedicamus Domino.

De Viduis.

I te Mis sa est.

De Corpore

De Corpore.




Ite Missa est.

V

De Requiem Solenne

In anniversario



Requie scant in pa ce. Requiescant in pace.

§ IV.

§ V.

MODUS CANENDI EVANGELIUM, LECTIONEM, ORATIONEM AC CÆTERA QUÆ HIC APPONUNTUR.

Sic canitur ante canendam Orationem

Dominus Vobiscum.

Sic canitur Oremus.

Ore mus.

Sic canitur Oratio v. g.

Conede mi-

sericors






Nota *Ante Præfationem & Pax Domini canit ita (ut in Missali notatur) Per omnia sæcula sæculorum:*

Sic canitur lectio

Sic canitur Lectio





gloriatur



Quod si venerit ad comma vel ad puncta duo sic canitur.



gloriatur in Domino glorie tur, non enim & ille probat9 eſt:

Si veniatur ad periodum ſic canit:



Si veniatur ad interrogationem ſic cauitur:



ſed quem De us commendat: Numquid omnes Prophetæ?

Sic vero

gloriatur

Sic vero Lectio terminatur.



Sic canitur Evangelii principium ac ad periodum.





Sic canitur,




Sic canitur

Sic cani-tur.




Sic canitur Versus





Sic petitur benedictio



Sic datur benedictio



Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

Sicca nitur Lectio



De libro tertio Regũ

Si vero fit periodus ad Monosyllabam posita sic canitur.



Vir erat in terra Hus nomine Job.

Si vero non fuit dictio Monosyllaba



Bonus inter malos fuit,

Tu autem



Tu autem Domine miserere nobis.

NOTA

Si contingat interrogationis nota? ita canitur ut supra. Lectiones in defunctorum officio sic adperiodum & interogationem, ac monosyllabam canuntur ut aliœ.

Lectiones in Officio defunctorum sicterminantur.



Et si mane me quæsieris non subsistam.

Sic facienda Confesio



Confiteor De- o omnipoten

o omnipotenti &c meacul pa mea maxima cul pa.

Sic canitur Versus.

Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix

Sic Canitur

Sic Canitur Divinum auxilium.



Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

INSTRU-

INSTRUCTIO IX.

De qualitate Pastoris animarum ejusqué obligationibus.

Ideo instruuntur in Seminario Alumni ut boni animarum Pastores evadant; omnes Instructiones huc tendunt tanquam ad finem & scopum ultimum. Nam: *ars artium est cura animarum* ait S. Gregorius. Porro

Pastor animarum est Clericus beneficiatus curam animarum habens. Hinc in Parochia sua est 1. *Servus & Minister* Christi, qui possit gloriari cum Paulo ad Rom:

Rom: 1. v. 1. *Servus JESU Christi*: quam ergo fidelis esse debes & prudens! quia de tali dicit Ecclesia: *Fidelis servus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam.* 2. *Doctor* populi ut idem Paulus ad Ephes: 4. v. 11. *Ipse dedit alios autem Pastores & Doctores*: quantùm ergò laborare debes prò acquirenda doctrinâ! ut alios possis erudire ad justitiam, verbum sanum & irreprehensibile, ut *possis arguere eos qui contradicunt*, quales sunt infideles & Hæretici, doctrinam autem omnigenam acquirendi modus & locus optimus in Seminario est: stude ergo non abuti tempore atqué loco. 3. *Dispensator* Misteriorum Dei ut dici-

dicitur 1mâ ad Corinth: 4. v. 1. *Sic nos existimat homo ut Ministros Christi & dispensatores mynisteriorum Dei.* Hic E discere priùs debes & plenè cognoscere, quæ sunt Mysteria Dei, & quid sunt? cui & quomodò ea dispensanda sunt. 4. *Pater Spiritualis* ita ut cum S. Paulo dicere possit: *In Christo Jesu per Evangelium ego vos genui* 1. ad Corinth: 4. v. 15. baptisando scilicet, instruendo, prædicando, absolvendo, & cætera Sacramenta administrando. 5. Legatus Dei juxta Illud: *pro Christo legatione fungimur* 2. ad Corinth: 5. v. 20. 6. *Speculator est*, qui è specula prospicit ne anima pereat prout di-

cir

cit Deus: *Fili hominis Speculatorem dedi te domui Isrâël, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur à via suâ impiâ, & vivat: ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram:* Ezechiel: 3. v. 15. & 17. Hos non minoris oneris, quam honoris, & horroris titulos implere qui nolunt, nec officium Pastoris affectent, nec oblatum acceptent. Insuper qualis præter enumerata debet esse Pastor animarum, & quæ ejus obligationes, subsequentes Paragraphi declarabunt:

bunt: 1mo enim agetur de dotibus Pastoris 2do de virtutibus illius, qua talis, propriis & requisitis. 3tio de obligationibus ejus.

§. I.

De Dotibus in Pastore animarum requisitis.

Dotes in Pastore animarum requisitæ istæ sunt: 1. *Vocatio* ut dicitur Joann: 15. v. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis.* Item ad Hebræos 5. v. 4. *Nec qui suum*

sumit

sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron &c. qui vero non vocatus se intrudit, jure metuat, ne cum Core, Datan, & Abiron miserè intereat. Non est autem vocatus, qui esum non Jesum pro objecto imario habet. Vocatus verè ille est, qui statum hunc accessit non ex alia intentione, nisi ut Dei gloriam; propriam, & aliorum salutem quærat, & qui insuper alias dotes habet, nempe pietatem, scientiam, aut illas acquirere studet. 2. *Ut beneficium non Simoniacè* sed legitima viâ à legitimo superiore ipsi sit concessum. Quid sit Simonia & quam lubricæ sunt viæ in illa committenda, lege Casistas, & quàm nulla sit jurisdictio Simoniaci Pastoris, per consequens, quanta sequitur conscientiæ propriæ, & animarum intricatio, ac seductio, consideranti doctrinam Doctorum, ex Statutis Pontificum promanantem, facile patebit. In his disce maturè, timere Deum, & cavere. 3. *Magna æstimatio* populi de probitate, doctrinâ, ac vigilantiâ ejus. Ad consequendum ista, svadetur, ut habeat penes se u-

& alterum Sacerdotem, tanquam adjutores & vitæ suæ testes: Tū quia dicit scriptura: *Væ soli quia cum ceciderit, non habet sublevantem se.* 4. *Bonum exemplum*: quia Parochus est lucerna super candelabrum posita, ut luceat omnibus: quod efficacissimum ad virtutes in populo promovendas argumentum est, nam si Pastor præcedat, oves sequuntur. 5. *Doctrina & scientia*: non solum Theologiæ moralis, sed & controversisticæ, notitia Asceticæ, ut sciat quibus modis acquirenda & conservanda virtus, vitandum & eradicandum vitium. Item scire debet quomodò cum duris & obstinatis peccatoribus, aliisque hominibus debet agere: Doctrina si desit pertimescat illud Oseæ 4. v. 6. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Hinc legantur sæpe à Pastore animarum libri spirituales cum prudentia, tamen & discretione 7mo præterea requiritur *Ætas*, quæ est ad minimum 25. annus inchoatus, ac *Ordo* requisitus, ut intra annum promoveatur ad S. ordinem Presbyte-

sbyteratus. Denique ut ad minimum intra duos menses à die adeptæ possessionis professionem fidei faciat. Sic ordinavit S. Concil: Tridentinum, quod relege, *Sess:* 24. c. 12. *de Reformat.*

§. II.

De virtutibus in Pastore animar: requisitis.

Istæ sunt sequentes: 1. *Virtutes Theologicæ*: id est fides viva, spes firma, charitas Dei ac proximi perfecta. Quomodò enim sine *fide vivâ* cum debitâ reverentiâ administrabit Sacramenta: an æqualiter quæret animas divitum ac pauperum? si non credat viva fide Sacramenta esse fontes è Xti latere profluentes, ac animas coram Deo omnes esse æquales. Quomodò sine *spe firma* indefesso animo portabit pondus diei & æstus, laborum & contradictionum? si non speret firmiter copiosum gratiæ auxilium, felicem operum successum, copiosum laborum præmium. Quomodò sine *charitate Dei* quæret Dei honorem & gloriam dilatare? sine *charitate proximi*, quam Xtus ter ex Petro Pastore Ecclesiæ suæ requisivit, quomodò inquàm sine illa, Pa-

ſtor impigro zelo animas ſibi commiſſas proſequetur & zelabit? ſint ergo & maneant in anima Paſtoris tria hæc: *Fides, Spes, Charitas, major autem horum ſit Charitas.* 2. *Pietas:* primò erga Deum, cui ſoli debetur honor & gloria (intellige latriæ) *ſecunda* erga Jeſum Xtum ob Incarnationis & Redemptionis beneficium, qui dignus eſt *accipere gloriam & honorem. Tertio* erga B.V.M. tanquam Dei & noſtram nobis in perſona Joannis Apoſtoli commendatam Matrem, ac vitæ Clericalis Reginam, Advocatam. *Quarto* erga omnes Sanctos tanquàm Dei amicos: præcipuè erga Angelum Cuſtodem, & ſtatûs Eccleſiaſtici Sæcularis præcipuos Patronos: SS. Petrũ & Paulũ, reliquosq; Apoſtolos, Apoſtolicoſqué viros: S. Joannem Nepomucen: Franciſcum Saleſium, Carolum Borromæum: potiſſimum colendi Patroni Angeliqué tutelares eorum locorum, quibus præſunt &c. horum omnium cultum gnaviter promovere ſtudeat. Nôrit autem, de quo, & populum inſtruat, quòd imitatio morum, ſit ipſis gratiſſimus cultus, ju-

xta illud adagium: *Similitudo morum, est mater amorum.* Et S. Hieronymi effatum serm: de Assump: *Amate Mariam, quam colitis, colite, quam amatis, quia tunc vere colitis & amatis, si imitari velitis ex corde, quam amatis.* 3. *Pura intentio* ad augendũ meritũ, juxta illud 1. ad Cor: 10. v. 21. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* 4. *Mansvetudo* in perferendis adversis, & *Humilitas* in prosperis ad cavendam vanam gloriam. *Discite à me quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris* Matt: 11. v. 29. 5. *Simplicitas* seu Xtiana *sinceritas*, ut sicut cor sentit interiùs sic lingva proferat exteriùs: Et *Prudentia* ad rectè procedendum, & in medio nationis pravæ & perversæ conversandum, ut monet Xtus mittens Pastores in mundum Matt: 20. v. 16. *Eccce ego mitto vos sicut oves in medio luporum, estote ergo prudentes, sicut serpentes, & simplices* (id est sinceri) *sicut columbæ.* Non tamen est idcirco cuiqué ad fundum cor suum revelandum, ut monet Spiritus S. Prov: 25. v. 9. *Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum ex-*

traneo non reveles. Unde-vide cui fidas: 6. *Castitas* ad vitandum omne scandalum: & *Sobrietas* ad officium ritè peragendum, juxta S. Pauli consilium *nolite inebriari vino, in quo est luxuria* ad Ephes: 5. v. 18. 7. *Modestia*, in vestibus, moribus, domo, &c. ut omnia sint non ad luxum, sed ad ædificationem. Undè absint risus immodici, facetiæ, ac nugæ, quas in ore sacerdotis blasphæmias appellat S. Bernardus dicens: *Nugæ in ore Laici nugæ sunt, in ore sacerdotis, blasphæmiæ.* Si omnibus Christianis prohibet Paulus ad Ephesios 5. v. 3. & 4. attendant Pastores, Sacerdotes Domini, quantùm eos argueret cum dicit: *Fornicatio aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet Sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas. Nam ubi Christus est, modestia quoquè est:* ait S. Gregorius Nazianzenus. 8. *Liberalitas* erga pauperes, maximè cum pars proventuum ex beneficio iisdem pauperibus obligata sit: & erga Ecclesias, cum & eisdem pars quædam proventuum obligetur, ut cum veritate dicere possit cum lavat manus ad

altare dicens: *Dilexi decorem domus tuæ & locum habitationis gloriæ tuæ* Pſal: 25. *Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti ſimus.* 1ma ad Timoth: 6. v. 8. 9. *Zelus* qui 1. ſit *purus* expurgatus à proprio amore ac emolumento 2. *fortis*, in quibuscunqué adverſis. 3. *diſcretus*, ſecundum omnem rerum, perſonarum, locorum, temporum, occaſionum, circumſtantiam attemperatus. 4. *Conſtans*, quia *in caſſum bonum agitur ſi ante terminum deſeretur* ait S. Greg: Ad exemplum S. Pauli, qui de ſe ipſo teſtatur *Ego autem libentiſſimè impendar ipſe pro animabus veſtris* 2. ad Cor: 12. v. 15. Et alibi: *quotidie morior* (id eſt pericula mortis ſuſtineo) *propter veſtram gloriam fratres.*

Ad virtutes, ut acquirantur: *1mo* neceſſaria eſt oratio *quia rectè novit vivere, qui rectè novit orare* S. Aug: *2do* quotidiana meditatio, & menſtrua ac annua, recollectio, vide ſupra, ubi de Medit: quas habet utilitates Inſtr: 2. *3tio* Frequens uſus Pænitentiæ & Euchariſtiæ ſic Ludovicus Rex ante mortem filio ſuo præſcribebat:

bebat: *Sæpius peccata tua confitere. Confessarium tibi selige idoneum, qui probus sit & prudens, & qui quæ facienda & cavenda sint, liberè certòqué tibi possit proponere.* Fac & tu similiter, qui longè perfectior Laico esse debes.

§. III.

De obligationibus Pastoris animarum.

Obligationes Pastoris animarum hæ sunt: *1mo* Tenetur ad continuam residentiam in sua Parochia: Vide Conc: Triden: Sess: 23. cap: 1. *2do* Per se officium suum præstare, seu pascere oves, verbis, exemplis, Sacramentis. Nec sufficit quòd suum officium præstet per alios, nam rectæ rationi repugnat, ut quis officium cum emolumentis habeat, & onus officii in alium transferat. Absentiæ autem & perconsequens exequendi munus suum per alium, justæ rationes hæ sunt tantum: *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, & evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas. 3tio* Tenetur Parochus Populum frequenter diebus saltim Dominicis necessaria ad salutem docere, vide Trident:

Sess:

Sess. 5. cap: 2. *4to* Sacramenta, Sacramentalia gratis ovibus ministrare quoties rationabiliter ea petunt, & utilitatem spiritualem procurare. *5to* peccata corrigere præsertim publica, & scandala tollere vel per se, si potest sic, vel Episcopo deferendo, & omnes occasiones proximas avertere. *6to* Tenetur scire an omnes Sacramenta debita in Paschate susceperint, & Sacrificio diebus festis intersint. *7mo* Tenetur peculiarem habere curam pauperum, ad exemplum S. Nicolai Episcopi, providendo ne ob inopiam justitia deseratur. *Item* eosdem pauperes gratis sepelire & prò iis gratis orare. *8vo* Tenetur nullos Matrimonio jungere, qui ignorant necessaria necessitate medii & præcepti ne illorum ignorantia derivetur in prolem. *9no* Tenetur attendere, ut ludimagister rectè instituat pueros, & cum doctrina timorem Dei instillet pueris, bonos mores doceat verbo & exemplo. *10mo* Tenetur servare statuta Diecœsis, & curare ut à suis serventur, quæ obligant in conscientiâ: hinc Synodum Diecœsanam

nam & Literam Pastoralem sæpe relegere debet. *11mo* Tenetur ex justitia etiam cum periculo vitæ, ovibus in necessitate spirituali non solùm extræma sed etiam gravi subvenire, sicuti tempore pestis, exundationis, belli &c. *12mo* Tenetur pro ovibus suis orare & Sacrificium offerre non solùmDominicis sed & festis diebus juxtà Toletum Fagnan. Gavan & Bullar: Benedicti XIV. Papæ. De his obligationibus & aliis fusiùs scribentes vide Hertzig *Manuale Parochi*, & Antoa de obligat:

INSTRUCTIO X.

De modo administrandi Sacramenta.

Præsens Instructio plurimis constabit §§is *1mo* agetur quomodò administrandi Sacramenta in genere? *2do* quæ circa Baptismum sunt observanda. *3tio* quæ tempore collationis Scrti Confirmationis observanda? *4to* quæ in administratione Sacramenti Pœnitentiæ scienda? *5to* quid

in

in administratione SS. Eucharistiæ & viatici observandum. *6to* quæ in administratione extræmæ unctionis notanda. *7mo* quid circa Matrimonii assistentiam observandum. *8vo* quæ observanda circa Introductionem mulierum.

§. I.

Quomodo administranda Sacramenta in genere?

R/. 1. In statu gratiæ. 2 Cum intentione saltim virtuali faciendi, quod facit Ecclesia. 3. Si tempus patitur, implorandum Divinum auxilium vocaliter, aliàs semper mentaliter per actus breves internos cum renovatione intentionis in mente vg. *Volo hunc infantem baptisare juxta ritum S. R. E.* 4. Non adhibeatur materia vel forma probabilis aut dubia, sed semper certa. Excipe Baptismum in necessitate. 5. Ceræmoniæ præscriptæ exactè, nec levi brachio, observentur, quæ in Ritualibus præscribuntur, superpelliceo sit indutus, & Stolâ ejus coloris, quem Sacramenti ritus exposcit. 6. Quæ legenda sunt, distinctè, clare, devote legantur.

tur. 7. Habitus sit decens & Sacerdotalis, locus regulariter Ecclesia. 8. Quæ in Agenda vel libro Rituali pro Sacramentis, aliisqué Pastoralibus functionibus præscribuntur, exactè sunt observanda, & prius diligenter prælegenda, ad memoriam informandam. 9. Consvetudines laudabiles circa rerum Sacrarum tractationem in Parochia usurpatæ, retinendæ sunt, de quibus consulendus loci æditũus.

§. II.

Quæ observanda circa Baptismum?

℟. Sunt sequentia. 1. Instruere sæpe debet Parochus populum, & instructas habere optimè obstetrices pro casu necessitatis; de Baptismi necessitate, quam testatur Xtus Joan 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* Item de *materia* hujus Sacramenti, quæ est: aqua naturalis id est alementalis vide Triden: Sess: 7. cap. 2: quæ vertici infantis ter infundatur, præviâ madefactione cutis, quia est pingvis, & proferatur forma quæ est: *Ego te Baptiso in Nomine Patris ✠ & Filii ✠ &*

Spiri-

Spiritûs S. ✠ *Amen.* Item de *intentione* faciendi id, quod Xtus ſtatuit atqué voluit. Item de aliis circa Baptiſmum ſciendis pro neceſſitate, de quibus tractant moraliſtæ. 2. Si Matris prægnantis mors timetur, curam habeat Parochus, ut ſit Chirurgus paratus ad inciſionem faciendam poſt mortem matris, ad extrahendum infantem, ſi dat ſignum vitæ, qui illicò baptiſandus erit: Si mater parturiens moriatur, os ejus ſervetur apertum, ne infanti obſtruatur via reſpirationis, ſtatim extrahendo. In dubio an parturiens editura ſit prolem, inſtruat obſtetricem Parochus, quatenùs immittat aquam calidam ad infantem cum prolatione formæ conditionatâ; ſi prodierit membrum aliquod, rurſus baptiſet eadem conditionatè, aut Parochus obtecto corpore parturientis: Si totus infans prodeat vivus, ipſemet Parochus vel alius curatus, baptiſmum repetat ſub conditione: *Si non es baptiſatus, ego te baptiſo. &c.* non enim intelligitur iteratum, quod ambigitur eſſe factum C. finali *de Presbytero non baptiſato.*

ſato. 3. Baptiſati tumultuariè, & expoſiti (niſi de baptiſmo valide collato certo conſtet) rebaptiſandi ſunt ſub conditione. 4 Baptiſati ab Hæreticis non ſunt rebaptiſandi, niſi conſtet eos non fuiſſe ritè & valide baptiſatos vel prudens deſuper dubium ſit. 5 Adhibendus eſt Patrinus qui ſit unus vel una, ad ſummum 2, vir & mulier: nequé hi ſint infideles, publice criminoſi, ignorantes fundamenta fidei, Monachi vel Moniales, aut Hæretici: quodſi hi petiti à Parentibus veniant, permodum aſſiſtentium habeantur, Catholicos verò deſignet Parochus, qui reſpondeant pro Infante Cathechiſmum, & illum tangant, illoſqué ſolos pro Patrinis in libro Metrices baptiſatorum inſcribat. 6. In ordinario baptiſmò delatus infans ad Eccleſiam, conſiſtat ante fores Eccleſiæ, Parochus in Superpelliceo & Stola Violacei col. egreſſus ad eum, inquirat 1. ex cujus Parochia? ex quo loco? *2do* qui ſunt parentes ejus, ut cognoſcat qualis tori. *3tio* utrum non eſt baptiſatus ab obſtetrice circa nativitatem. *4to* cujus

ſexûs

ſexûs ſit? *5to* quale nomen imponi vo-
lunt? & tandem procedat ad baptiſmum
juxta rituale ſeu Agendam. 7. Baptiſmus
non differatur nimiùm, peccatum enim
mortale eſt differre ultra dies 8. Non
baptiſetur in privatis ædibus niſi Sena-
toris vel Principis infans, aut in neceſſi-
tate aliqua & magno rigore hyemis vel
procul, & via incommoda ſit. 9. Non
detur aqua baptiſmalis ad bibendum. 10.
Baptiſterium ſit munitum, decenter orna-
tum, in loco honeſto, propatulo, & clau-
ſum. 11 Chriſma & Oleum S. vaſculis
incluſum, honeſtè & decenter conſerven-
tur, quibus ordinariè ſignum appoſitum
O ſignat oleum Cathechumenorum, litera
enim O ex 2bus C videtur componi. Si-
gnum C ſignificat Chriſma. 3tium I ſigni-
ficat Infirmorum.

Nota I. Ii ſunt tantum Patrini verè
& dicuntur tales, qui in ſolemni baptiſmo
reſpondent Catechiſmum pro Baptiſato,
qui vero ſublevat infantem in priva-
to baptiſmo, ut commodiùs baptiſetur,
non eſt vere & propriè Patrinus.

Nota

Nota 2. Post absolutum baptismum statim inscribendi sunt in librum Metricês baptisatorum quod potest fieri in hâc formâ: *Annô Domini die Mensis Ego NN. Parocho vel Vicarius Ecclesiæ Parochialis NN. Baptisavi Infantē N. vg. Joannē natum vel Joannam natam die N. Mensis N. Magnifici N. vel Generosi vel Nobilis vel laboriosi Filium vel Filiam N. & N. natam die N. Mensis N. legitimorum Conjugum de Aula N. vel pago N. vel Villa N. Levantes erant de Sacro fonte N. cum N.*

Forma autem seu Aringa extradendi testimonii Metricês talis esse potest:

Infra scriptus petitus (vel requisitus) de extradendo authentico testimonio Natalium M. D. vel Generosi D. vel Nobilis D. vel Laboriosi N, justæ petitioni annuendo, illud in libro Metricês Baptisatorum hujus Ecclesiæ quæsivi, reperi, ac extradidi de tenore sequenti (hic exprimatur prout ibi scriptum) Quod originale sic à me extraditum de verbo ad verbum concordat cum suo originali. In cujus rei fidem me manu propriâ subscribo, & Sigillum Ecclesiæ appono &c.

Eandem Aringam applicabis ad testim: Copulatorum mutatis mutandis.

Nota

Nota 3. Quomodo conferendus eſt baptiſmus conditionatus, vel ceræmoniæ ſupplendæ ſuper jam inante baptiſatum & quomodo baptiſandus adultus? Rituale inſpiciendum ſeu Agenda, quæ edocebit. Quod attinet adultos, hic inſuper ſciendum, ut ſint præinſtructi in articulis fidei, ut ſciant neceſſaria neceſſitate medii & præcepti ante baptiſmum, ut eliciant ſaltim attritionem de peccatis perſonalibus, & actus fidei, ſpei, charitatis. Cum Judæis non ſvadetur, ut properet ad baptiſmum, ſed priùs bene probandi, utrum Spiritus eorum ex Deo ſit, & non ex temporali aliquo reſpectu. Prudentiâ hic magnâ opus eſt & conſilio. Plura circa Baptiſmum reſcias in moralibus, *hic* tantum obvia & ut in praxi procedendum.

§. III.

Quæ circa collationem Confirmationis obſervanda?

℟. Sequentia: I. Inſtruat Parochus populum de tempore illius conferendi, de ſtatu gratiæ ſuſcipientis, quem requi-

 rit

rit hoc Sacramentum, de ejus effectibus & fine, propter quem datur confirmatio, scilicet propter robur spirituale in fide contra persecutores ac tentationes fidei. 2. Instruat adhibendum esse Patrinum vel Patrinam, Confirmatos jam, distinctos à Patrinis baptismi. 3. Explicet Confirmationis effectum: cæterum augmentum gratiæ in baptismo collatæ ad contumeliam pro Xto, & fide, perferendam. 4. Quod alapa detur in signum præmonitivum sustinendi adversitates pro fide. 5. De Chrismatis dignitate, quô ungendi sunt: ex ejus cum tanta solemnitate benedictione, & impressione characteris perpetuò in anima remanentis, signantis animam illam perpetuò militiæ Xti adscriptam esse. De effectu, Ministro, & aliis circa hoc Sacramentum lege Theologos.

§. IV.

Quæ circa administrationem Sacramenti Pænitentiæ scienda?

℞. Plurima sunt, & magno labore, ac notabili temporis intervallo ad scitum

tum comparanda, quibus instruatur Minister Sacramenti Pænitentiæ: Huc confluat necesse est adminiculum scientiæ cujuslibet, Ascesis, Theologiæ speculativæ, & moralis; Constitutionum, Bullarum, Casuum reservatorum, dein gravitatis ac levitatis peccatorum, (quorum levitas vel gravitas ex Scriptura S, dispositione conscientiæ, nonnisi ponderari potest,) notitia, ac summa prudentia. Hoc instructionis punctum dum ingredior artubus contremisco, quid dicam confessionale? tribunal Xti vicarium? nihilominus quantùm hoc loco vires sinunt, ad praxim, quantùm tempus, locus, & scopus permittit, edissero, ad 3plex munus Confessarii, (cum is sit *Judex, Doctor, & medicus*) restringendo hanc doctrinam, nunc

℟. I. Confessarius ut *Judex* debet scire 1. Materiam & formam Sacramenti. 2. Quos & à quibus absolvere potest. 3. Obligationem Sigilli ne illud directè vel indirectè frangat &c.

Porro sub sigillum Confessionis ca-

cadunt: *1mo* Omnia peccata pœnitentis, cum intentione confitendi, tum venialia, tum mortalia, enarrata. *2do* Peccata complicis detecti, etiamsi detectio inprudenter facta fuerit. *3tio* Pœnitentia imposita, si gravis sit, & plerumq; pro mortalibus. *4to* Circumstantiæ peccatorum, ut si quis confiteretur jactasse nobilitatem, quam non habet, *5to* Virtutes aut defectus naturales pœnitentis: aut occulta vitia corporis, scrupuli, si non sint noti. *6to* Ea, quæ alios concernunt, & tamen peccata non sunt. *7mo* Omnis ea actio, quæ ex notitia peccati cum periculo directæ, vel indirectæ revelationis procedit. *8vo* Gubernatio alterius ex tali notitiâ procedens, licet absqué periculo revelationis facta, quia & hæc pœnitentem à confessione absterrere possunt. *9no* Factum, quodcunque ruborem vel molestiam pœnitenti creans, si advertat id ex notitia confessionis procedere. *10mo* juxta aliquos authores, etiam locus pœnitentis, scilicet confessionis, vel delicti ejus, licet pœnitens

non

non specificetur: quia agitur de infamatione communitatis illius loci: hinc periculosum est dicere: *habui ibi talem pœnitentem, cum tali casu, peccato &c.* 4. Distinctionem specificam peccatorum & numericam. *Item* circumstantias speciem mutantes: & quæ peccata sunt mortalia, quæ venialia. 5. Quæ peccata inducunt obligationem restitutionis & quomodo, qualiter, quando; *Item* deponendi consvetudines, vitandi occasiones, & pericula proxima peccandi. Ex his patet, quã magnâ opus est scientiâ & prudẽtia Cõfessario in his bene tractãdis. 6. In Ministro hujus Sacramenti, qui est Sacerdos, requiritur: ut sit legitimè ordinatus: Ut jurisdictionem habeat in pœnitentem, qualem habet Parochus in suos Parochianos ordinariam, Vicarius ejus delegatam, quam subdelegare non potest, sed tamen Parochus aliis Com-Parochis suis Diecæsanis, eorumqué Vicariis in eadem Diecœsi approbatis, potest conferre jurisdictionem formaliter vel interpretativê: In casu tamen ne-

cessitatis quivis validè ordinatus Sacerdos absolvit, ubi nec ullum peccatum pro tunc reservatur. 7. Confessio ordinariè in Ecclesia, ibiquè in loco patenti excipienda est à Confessario, superpelliceo & stolâ induto, coloris, quem tempus exigit. Vultum à pœnitentibus, præsertim fœminis ita separet, ut non videre, sed audire videatur. Sedes confessionalis sit instructa cratibus perforatis inter pœnitentem & Sacerdotem. Surdorum, & lingvæ ignarorum, ac mutorum confessiones excipiendæ sunt per signa; consultum erit si antecedenter sit informatus de vita talis pœnitentis EG. ejus peccandi consvetudinibus. 8. Accedentes consvetudinarios, ac alios in proxima peccandi occasione constitutos, aut in scandaloso ornatu, quales vg. sunt fœminæ in superiori parte nudatæ, non absolvat; nisi seriâ appromittant pœnitentiã; sed & hoc vidēdū quando? 9. nō reprehendat pœnitētes â gestibꝰ manuū abstineat, nec interpellat nec interroget, nisi post finitã ejꝰ enarratio-

nem,

nem, ubi etiam detur si danda est correctio, quæ doctis quam brevissima & verbis nervosis ex rationibus, & S. Scriptura detur, rudibus autem prolixior & incutiens metum vindictæ Divinæ temporaneæ, ac spiritualis, gehennæ, purgatorii quia de his plerumqué rudes non cogitant, & sæpè utrum est purgatorium vel infernus, nesciunt. Intra tamen actualem confessionem potest interrogari de numero, & specie peccatorum, ne forte obliviscatur postea. *Tomo* Verecundas personas, ut stultam, per consequens, noxiam verecundiam, deponant, adhortetur, dexteritate adjuvet inchoando à levioribus, cogitationibus &c. Cæterùm sit Sacerdos *in sede tribunali agnus, in ara Angelus, in cathedra Leo.*

℟. II. Ut *Doctor*, debet pœnitentem I. instruere in fide & moribus, quid illicitum; docere necessaria necessitate medii & præcepti, aliaqué ad salutem, ad Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ ritè suscipiendum, necessaria. Unde si pœnitens ignoret necessaria, breviter

instruendus est circa necessaria necessitate medii, dolorem, propositum, & absolvendus est, cum adhortatione seria, ut meliùs addiscat. 2. Si notet defectum in examine ad Confessionem, id instituat attento statu pœnitentis, servatâ cautelâ circa peccata carnis, ne malitiam doceat, vel sibi aut pœnitenti sit scandalo. 3. Si defectum in dolore & proposito inveniat, proponat ipsi motiva formalis doloris, qualia sunt beneficia Dei generalia omnibus, & specialia illi ipsi præstita, quæ solus novit à Deo sibi exhibita, & denùm ejus ingratitudinem tantam tantis beneficiis ab ipso relatam. V G. interrogando: *quid tibi Deus in vita mali fecit?* si respondeat nihil: ultra roget: *cur ergo tu in Deum tam malitiosus extitisti ut pro bonis mala, scilicet offensas retuleris, contemptu Majestatem tantam! bonitatem summam, summâ malitiâ affeceris?* Plures modos eliciendi dolorem, vide in Hertzig Manuali Confessarii. 4. Si veniunt plane rudes, qui se ut mutos gerunt, hos interroget imprimis quam pridem ultimo sint confessi: postea, an
im-

impositam pœnitentiam impléverint,& integre? an in ultima Confessione & præcedentibus, conscientiam discusserint, dolorem elicuerint, propositum habuerint: Examinet deinde circa peccata, quæ frequenter à similibus hominibus fieri solent, uti sunt: imprecationes, invidiæ, rixæ, maleficia, superstitio, peccata carnis, quæ mente, ore, opere committi solent; furta, detractiones, &c. Si numerum nesciant, interroget quoties de die verosimiliter vel in septimana soliti fuerint ea committere: dein eliciat cum iis actus doloris eo mdô, quô supra dixi, & propositum, ac moneat ut in posterum sic instituant Confessiones. 5. Si pœnitens fecerit confessiones sacrilegas sic juvetur; rogetur, quoties sacrilegè & cum conscientiâ sacrilegii, sit confessus, & communicaverit? quoties tempore Paschali? an alia Sacramenta in tali statu susceperit? quæ peccata mortalia in confessionibus sacrilegis habuerit. Insuper admoneatur, ut dicat in confessione sequenti, si quod peccatum morta-

le sacrilegè confessum adhuc incidat. 6. Consultus de aliqua re, prudenter penset, an expedit dare consilium: vota perpetua vg. castitatis, non consulat, sed ad tempus, quô elapsô, possunt repeti. In causa Matrimoniali consultus consulentem mittat ad amicos, aliosqué rei gnaros, uti Medicos; Nihilominùs consulere potest consvetudinario, & fragili, quod *melius est nubere quam uri:* imo in conscientia obligare, ut sibi de hoc licito remedio prospiciat.

℟. III. Ut *Medicus:* præscribere debet medicamina & antidota contra peccata, & relapsus: proinde sciat vulneribus vinum atqué oleum affundere mixto mansvetudini rigore, id est remedia curativa à præteritis, præservativa à similibus & futuris. Antidotum autem generale, est recordatio novissimorum j. Eccli: c. 7. v. 40. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.* Vel: *momentaneum est, quod delectat, æternum, quod cruciat:* & hoc remedium peculiare est contra cogitatio-

nes impuras,&vitia carnis. Prodest item interrogare peccatores quorsùm devenissent, si in peccato mors eos invenisset? in inferno habitasset anima mea respondebunt: procedat ultra Confessarius: nescis ergo diem nequé horam, proinde vigila, quâ horâ Dominus venerit &c. ut te paratum Judex inveniat, mandata Dei serva. Contra pejerantes, habentes consvetudinem jurandi, remedium est inculcando præceptum Decalogi: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, explicando, quis hoc præcipit & cui? explicando quod *Sanctum & terribile Nomen ejus!* coram quo Seraphini in facies suas procidunt, non expedit ergo ob vanissimam rem labiis pollutis inconsideratè profanare nomen ejus &c. Contra raptores bonorum & famæ, serviet Sententia S. Augustini: *Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum*, explicando quam gravis & intricationibus plena inde exurgat obligatio, conscientiæ magnus tortor, quanta damnificatio proximi contra charitatem,

tem, & justitiam, quam Deus zelat maximè: contra foventes inimicitias adducendum Xti præceptum: *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in Cælis est* Matt: 5. Item Xti exemplum: *Dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt* Lucæ 23. Item juvat ipsos interrogare an velint ut ipsis dimittantur peccata sua? si dixerit poenitens volo, procedat Confessarius: quomodo ergo dicis *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris:* Solus ergo contra te Sententiam profers apud Deum. Item proponatur illis dilemma alicujus Ascetæ: Cœlum me manet vel infernus: Si Coelum ergo necesse est amare proximum qui est imago Dei capax mecum beatitudinis æternæ, quæ radix est charitatis: Si infernus? satis erit ibi producere odia per totam æternitatem, ubi est locus odii & ubi sempiternus horror inhabitat &c. Contra avaritiam & omnē immunditiam, reliquaquè præcipua & fre-

frequentiora peccata eſt S. Pauli Sententia I. ad Cor: v. 9. & 10. *Nequé fornicarii nequé idolis ſervientes, nequé adulteri, nequé molles, nequé maſculorum concubitores, nequè fures, nequé avari, nequé ebrioſi, nequé maledici, nequé rapaces regnum Dei poſſidebunt.* Contra cætera peccata, annota cætera remedia ex lectione Sræ Scripturæ, librorum Spiritualium, Aſcetarum, addendo generalem contra omnia peccata generatim ſumpta, admonitionem ex Eccleſiaſtico 21. v. 1. *Fili peccaſti? non adiicias iterum, ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur. Quaſi à facie colubri fuge peccata.*

Q.1. Quid circa conſuetudinarios faciendum

℞. Diligenter videndum, quibus conferenda, quibus differenda, quibus abſolutè deneganda eſt abſolutio. Sic iis, qui extraordinaria dant ſigna doloris, & adeſt ſpes certa emendationis, nec eſt dubium de dolore efficaci, ac firmo propoſito non peccandi, concedenda eſt abſolutio. Illis autem, qui nolunt odium deponere, eg. aliena reſtituere, vel etſi promiſe-

miserunt in præterita confessione, & non restituerunt adhuc, qui proximam occasionem non deseruerunt, vel nolunt se emendare seriò, nec media præscripta servarunt, deneganda est absolutio, licet appromittant, ob peccandi enim consvetudinem, & occasiones, ac periculum, non potest prudenter expectare & sperare seriam emendationem. Si autem dubitet, an ore solum doleat, non ex corde, differatur absolutio, & interim disponatur ad perfectam contritionem, & præscribantur ei salutaria contra peccata remedia qualia sunt: *Memoria Divinæ præsentiæ, novissimorum, mortificationes, & afflictiones corporis, imploratio Divini auxilii per preces, devotiones, ad B. V. M. aliosqué Sanctos: visitando ecclesias altaria, imagines gratiosas.* Sed meminerit Confessarius se Judicis pariter & Medici personam sustinere, ac Divinæ justitiæ & misericordiæ ministrum à Deo constitutum esse, quare curet quantùm fieri potest, ut contrarias peccatis pœnitentias injungat, veluti avaris eleemosinas,

lubri-

lubricis continentiam, tenacibus largitatem, ſuperbis humiliationis actus, & opera humilia: &c, nunquam autem imponat, quæ non ſunt pœnitenti & ſtatui ejus congruæ aut in præjudicium alterius, vel in odium Sacramenti.

Q. 2. Quid circa caſus reſervatos obſervandum?

℞. Ab illis plerumqué abſolvere datur licentia in inſtrumento approbationis, quodſi non daretur poteſtas, bene ſunt in memoria retinendi: notitia eorum poteſt haberi ex Cancellaria Diecœſis, vel Synodo Diecœſana, aut littera Paſtorali.

Q. 3. Quæ ſunt ſcienda de ſollicitatione in Confeſſione vel confeſſionali?

℞. Ad informandam plenè hac in re ſcientiam, ſubiicio Conſtitutionem Benedicti XIV. Summi Pontificis, quæ eſt talis.

- - *Denuo committimus & mandamus omnibus hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus & Locorum Ordinariis* (Intellige ubi non eſt Tribunal S. Inquiſitionis) *&c. &c.*

inquirant

inquirant & procedant contra omnes & singulos Sacerdotes &c. &c. qui aliquem pœnitentem, quæcunqué persona illa sit, vel in actu Sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, NB. vel occasione aut prætextu confessionis vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta & turpia sollicitare, vel provocare, sive verbis sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam, aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos aut inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint. NB. Meminerint præterea omnes & singuli Sacerdotes ad confessiones audiendas constituti, teneri se ac obligari suos pœnitentes, quos noverint fuisse ab aliis ut supra sollicitatos, sedulò monere juxta occurrentium casuum circumstantias, de obligatione denuntiandi Inquisitoribus, sive Locorum ordinariis prædictis, Personam quæ sollicitationem commiserit etiamsi Sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem validè impertiendam careat, aut sollicitatio in-

ter Confessarium & pœnitentem mutua fuerit, sive sollicitationi pœnitens consenserit, sive consensum minimè præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem NB. jam effluxerit: aut sollicitatio non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. NB. Caveant insuper confessarii ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos Sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltìm se cum primùm potuerint, delaturos spondeant ac promittant.

Nota Qui falso denuntiaret ex aliquo odio, vindictâ &c. ex eadem constitutione incurreret casum Summo Pontifici reservatum.

Q. 3. An possit Confessarius complicem in peccato turpi contra 6tum Decalogi præceptum absolvere?

℞. Negativè, nisi in casu mortis, & si non adesset alius Sacerdos: quodsi talis complicis præsumeret confessionem audire & illum absolvere extra casum mor-

tis prædictum, ipso facto incurreret pœnam Excommunicationis latæ sententiæ reservatam summæ Sedi: ita in eadem Constitutione tulit idem Benedictus XIV.

Q. 4. *Quæ ad praxim hic adhuc scienda Tyroni?*

R/. 1mo Quod pœnitens ipse non possit sibi mutare pœnitentiam à confessario assignatam, etiamsi in melius. Nec alius Sacerdos, nisi ei de novo confiteatur. Sed tantum Confessarius ille, qui injunxit, si adhuc recordetur saltim in confuso peccatorum.

R/. 2. Sunt scienda & memoriter addiscenda Seminaristæ sequentia. 1mo ante Confessionem dicendum: *Dominus sit in corde tuo & labiis tuis, ut dignè & competenter confitearis peccata tua in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti † Amen.*

2do Post Confessionem dicenda sunt: *Misereatur tui omnipotens Deus & dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam Amen. Indulgentiam absolutionem & remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus Amen.* Hæc

2

2. præmiſſa omitti poſſunt in magno concurſu populi ad Confeſſionem.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus abſolvat, & ego authoritate illius abſolvo te à vinculo excommunicationis ſuſpenſionis (ſi Clericus eſt) *& interdicti inquantum poſſum & tu indiges, deinde:* Ego te abſolvo à peccatis tuis in Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti ✠ Amen.

Paſſio Domini noſtri Jeſu Xti (quod etiam in concurſu magno omitti poteſt) *& merita B. M. V. & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris vel mali patienter ſuſtinueris ſint tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ & præmium vitæ æternæ Amen.*

Et hæc ſelectiora quæ ad praxim atq; rariora excerpta aliunde, hic ſufficiant: ad pleniorem autem informationem circa hoc Sacramentum ſtudioſè, ſcientificè, prudenterqué tractandum, remitto ad Theologos morales & multorum aliorum librorum lectionem. His non eſto contentus ſi conſcientiæ, proximo, & Sacramenti di-

gnitati vis satisfieri. Ultimo moneo, si casus perplexus in Confessione contingat, ita ut planè mente confusus, nescias quid agas etiam post petitionem à Deo luminis, eo tempore suspendas absolutionem, vel ad alium magis peritum Confessarium, pœnitentem remittas, præmonitum, ne ad Communionem accedat, & quod locô absolutionis, benedictionum verba super eum proferes. Nam hoc generaliter sciendũ si alicui non potest dari & deneganda est absolutio, tunc præmonendus est, quod nõ dabitur absolutio, sed tantũ quædam preces dicentur, ne pœnitens coram astantibus infametur; & tunc potest dici *Misereatur*, *Indulgentiam* vel alia precatiuncula, non tamen proferatur ipsa forma.

§. V.

Quæ in in administratione Eucharistiæ & viatici observanda?

℟. I. Sunt sequentia: 1. Instruat eos qui necdum communicarunt de dignitate hujus Sacramenti & de præparatione. 2. Caveat ne intra communicandum particulæ decidant, hinc laudabiliter faciunt, qui inter digitos manûs, quâ pixidem te-

nent,

nent, patenam accipiunt, mento communicantis supponendam: ex patena plures communicare periculosum est, nam facta suspiria cõmunicantis, facile particulas exsufflare possunt. *3tio* Publicis peccatoribus deneganda commmunio.

4. De consecratione particularum hæc observet: 1. Intentionem faciat offerendi & consecrandi eas, quæ in se, vel in calyce ponantur super corporale ex sinistra parte. 2. Tempore offertorii & consecrationis detegat, offerat & consecret, & postea tegat. 3. Si facienda est, ordinarie fiat populi communio, post sumptionem sangvinis à Sacerdote, nisi consvetudo locorum sit nonnisi post missam: Minister dicat *Confiteor*, Sacerdos versùs populum: *Misereatur vestri* (etiamsi unus communicet) *Indulgentiam*, formando Crucem ✠, deinde hoc finito, vertit se ad altare, manu sinistrâ appehendit pixidem & patenam inter digitos ejusdem manûs, conversusqué cum particula ad populum dicit *Ecce agnus Dei ecce qui tollit peccata mundi: Domine non sum dignus ut intres sub te-*

ctum meum sed tantum dic verbo & sanabitur anima mea. & quidem ter; ad Laicos, dicit lingvâ vernaculâ. 4. Communio incipit eorum, qui sunt ex parte Epistolæ (nisi in medio adsit Clericus vel Sacerdos) unicuiqué dando, format crucem cum particula dicens: *Corpus Domini nostri Jesu Xti custodiat animam tuam in vitam æternam Amen:* quod etiam vernaculâ dicitur, si Laicis datur. Tempore administrationis eliciat actus fidei, charitatis, humiliationis, 5. Si aliquod fragmentum digitis adhæserit, illud in pixidem retrudatur. 6. In Quadragesima appropinquante confessione Paschali moneatur sæpe populus de præcepto communionis Paschalis stringente sub gravi onere & pœna, Parochianos, ut suis Pastoribus confiteantur & ab iis communicentur. In Ciborio nil quidquam aliud, nec reliquia aliqua conservetur.

℟. II. Eucharistia ut viaticum datur tunc, cum probabile est, quod eam infirmus amplius sumere non possit. Præmissis *Misereatur: Indulgentiam: Ecce Agnus Dei,*

Domine

Domine non sum dignus loco *Corpus Domini nostri* dicitur: *Accipe Frater* vel: *Soror, viaticum Corporis Domini nostri Jesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, & perducat in vitam æternam.* Ablutio eorumdem digitorum in vino vel aquâ detur infirmo, nisi fastidium habeat. Postea cum infirmo eliciantur actus fidei, spei, charitatis, aut alii in Agenda pro infirmis præscripti. 2. Infirmis etiam non jejunis viaticum dari potest. 3. Si timeat tussim & vomitum, probet 1mo in particulâ non consecratâ, dandâ ad deglutiendum, vel in potu aliquo, maxime si guttur sit exsiccatum; si abest periculum vomitûs, detur consecrata: quodsi vomitus contingat, subministretur patella, quâ vomitus cum speciebus recipiatur in sacrarium deponendus. 4. Si post viaticum ægrotus convaluerit & postea recidat periculosius, 8vâ die à 1mo, 2dum viaticum dari potest. 5. Villanis Sacerdotibus discedentibus ad infirmum plures particulæ reponendæ sunt in bursa, jam propter alios infirmos qui forte reperientur, jam propter cul-

tum latriæ qui sæpe datur revertentibus à rudi populo cernente Ministrum indutum sic esse. In via proficiscendo non equitent indecorè: quod si necessitas naturæ cogat in itinere, deponatur Ssmum in loco decenti, vel in arboris ramo suspendatur, donec in distantiori loco satisfiat. Vel aliud consilium, locus, tempus, & circumstantiæ dabunt. Modestius est rhedâ, seu curru discedere cum Ssmo quam equitare. 6. Deferatur Ssmum ad ægrotos cum decentia & debito vestitu, aperto capite, si non procul & in æstate. 7. Ingrediens locum ubi jacet infirmus dicat *Pax huic domui*: cui respondetur: *Et omnibus habitantibus in ea*. Vel *Laudetur J. C.* Ubi deposito Ssmo, aspergatur infirmus. Vel si aqua deest, nec est periculum in mora, aqua in sufficienti quantitate benedicatur, apud villanos in domo retinenda. 8. Accedit infirmum ut cognoscat num sit bene dispositus ad viaticum &c. interrogetur utrum velit confiteri. 9. Post confessionem disponatur ad susceptionem per actus breves.

Nota

Nota Si infirmus habeat periculum in mora, dicto uno & altero peccato, & præmisso generali dolore de omnibus peccatis absolvi potest, & deinde aliorum peccatorum facere confessionem usquè ad ultimum peccatum.

Plura vide infra ubi dicetur de modo assistendi infirmis.

§. VI.

Quæ in administratione extremæ unctionis observanda?

R. Sequentia: 1. quando venit ad locum ubi infirmus, dicit *Pax huic domui* Vel *Laudetur J. C.* 2. Deponit oleum S. supra mensam decenter tectam, & inter Candelas lucentes, accipit superpelliceum, Stolam de tempore, crucem deosculandam porrigit infirmo: præmissa aspersione aquæ ut supra dictum. 3. Adhortatur infirmum de hoc Sacramento, cum explicatione ejus effectuum & virtutum quæ sunt: *Remissio venialium, & mortalium, eorum, quibus æger fortè obnoxius est, sed obnoxium se esse inculpabiliter ignorat, dummodo attritus fuerit; tollit pœnas restantes, item*

languo-

languorem animi, robur etiam affert ad superandum agone & tentationes: aliquando etiam confert sanitatem corporis si infirmo expediat. 3. Moneat adstantes ut tempore inunctionis orent pro infirmo, & ipsemet infirmus dispositus sit ad devotionem, ac eliciendos actus erga Deum fidei, spei, charitatis, doloris, humiliationis &c. 4. Bombaceum siccum habeat inter medium & indicem digitos, ad tergendam unctionem quamlibet: 5. Inungat singulos sensus hoc ordine *1mo* oculos, *2do* aures, *3tio* nares: deinde, os, postea manus (Sacerdotibus solis ad extra, quia jam habent inunctas ab intra) in fine pedes ad extra, quos lavari priùs curabit. 6. Dum est periculum in mora sola frons ungatur proferendo sic formam: *Per istam Sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per omnes sensus* Postea manus absterget sale cum pane, & lavabit, lotionem & salem cum pane in ignem projiciet.

Observa Cæterùm circa hoc Sac ramentum

tum 1. infirmus ut ſit, & præexiſtat in ſtatu gratiæ, quare præmittenda erit confeſſio 2. Infirmus debet eſſe, vel fuiſſe aliquando rationis capax. 3. Debet eſſe conſtitutus in periculo mortis. 4. In dubio de vita, ſub conditione: *Si vivis per iſtam unctionem &c.* ungatur. 5. In eâdem infirmitate non eſt ungendus 2dariò. Plura ad informationem capies ex Theologis, qui relegendi erunt.

§. VII.

Quæ ſunt obſervanda circa Sacramentum Matrimonii?

℞. Sunt ſequentia: 1. Sit ſollicitus Paſtor ut inter contrahentes non ſit impedimentum nec impediens, nequé dirimens: Horum idcirco perfectam notitiam ex probatiſſimis AA habeat. 2. Præmittat trinam proclamationem. 3. Ut matrimonium Catholica cum Acatholyco vel è contra, quantum poſſibile eſt, non contrahat, ob periculum perverſionis in prole, & alia incommoda, quibus omninò proſpiciendum, ſi aliter nequit fieri. 4. Cohabitare in una domo Sponſos non permittat.

5.

5. Examinet Sponsos, quantùm & utrum calleant necessaria necessitate medii & præcepti, quæ si ignoraverint, eòusqué non jungat, quousqué ea non addiscent, ut proles in futurum instruere valeant. Postea examinet illos, & testes eorum de impedimentis dirimentibus & impedientibus. Cautus sit, maximè circa Peregrinos, vagos, & Parochiam mutantes. Item ne alterius Parochiæ sponsos conjungat, quia invalidum esset matrimonium. Sufficit autem si alteruter sponsorum sit tuæ Parochiæ. 6. Postea in librum Metricês copulatorum inscribantur sponsi, & testes contractus matrimonialis, qui sufficiunt 2. Inscribi autem sic possunt:

Ego NN. Parochus vel Vicarius Ecclesiæ Parochialis N. præmissis tribus bannis, & prævio examine super impedimentis matrimonii, nulloqué reperto, benedixi matrimonium contractum inter N. & N. Virginem, Præsentibns testibus N. & N.

Nota Si contrahatur matrimonium cum Vidua non scribatur *benedixi* sed *ratificavi matrimonium* quia tunc benedictio non datur.

tur. In bannis Parochus possitne dispensare? vid: AA.

Quomodo autem in praxi assistendum matrimonium contrahentibus, Rituale seu Agenda edocebunt.

§. VIII.

Quæ circa introductionem mulierum post partum vel nuptias observanda?

R/. Sequentia: 1. Diversus est modus in quibusdam introducendi mulierem post nuptias & diversus post partum, in quo? videatur Agenda. 2. Mulieres post partũ non sunt benedicendæ regulariter ante 25. diem, nec alibi, quam in Ecclesia. 3. Benedici non debent sub pœna suspensionis eo ipso incurrendæ, quæ ex illicito concubitu pepererunt. Quæ vero ex illicito concubitu concepit, sed in matrimonio peperit, probabiliter introduci seu purificari potest. Acatholica non est digna hoc beneficio. Hæc purificatio processit ex devotione non improbanda, sed laudanda, quod, ad exemplum B. V. M. s. se purificantis id faciant, ad gratias agendas Deo pro felici partu, & aliis beneficiis

eo

eo in periculo sibi exhibitis. Adeoqué in hoc instruendæ sunt mulieres, ut sciant quid & quare petant? dum introduci petunt.

INSTRUCTIO XI.

De conversatione Pastoris cum variis hominibus.

Instructio hæc multis constabit §§phis de variis cum variis personis conversationibus tractantibus, id est: cum domesticis, cum magnatibus, cum hospitibus, cum Parochianis, cum alio sexu, cum pauperibus, & confinibus confratribus, ac vicariis, seu sacerdotibus subalternis, cum Hæreticis, de conversatione in genere sumpta: de qua prius procedat.

§. I.

De conversatione Pastoris in genere.

Conversatio est modus agendi cum proximo privatus atqué ad animæ salutem procurandam ordinatus. Porro necessitas conversationis Pastoralis inde patet, quod oportunior multis sit, quàm concio, ac utilior. Hinc: Omnis

Omnis converſatio Paſtoralis 1. Sit *pura*, id eſt fiat ex intentione Divinæ gloriæ, & ſalutis animarum, quâ nihil terrenum quæratur. 2. Sit *moderata*, nam quot loquitur Parochus verba, tot profert exempla. 3. Non fiat cum effuſione animi ad externa: hinc ſæpè mens & cor in Deum elevanda per actus internos breviſſimos. 4. *Indifferens*, ut ſine acceptione perſonarum omnibus conſilium & auxilium poſcentibus ferat: eſt enim in omnibus æqualis dilectionis cauſa, ſcilicet imago Dei; hanc acceptionem Perſonarum eliminat S. Jacobus dicens c. 2. v. 1. *Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri J. C.* 5. Sit *ſvavis & amabilis*, ut acquirat benevolentiam, Parocho ſummè neceſſariam. 6. *Prudens*, nec Pſeudo-politica, nec inurbana, & nihil proferat, quod offendat. Hinc verba priùs ponderentur, antequam proferantur; *cui honorem, honorem, cui tributum, tributum* ut ait Apoſt: reddat. 7. Si neceſſaria ſit aliqua reprehenſio, ſit manſveta juxta manſveti Xti doctrinam: *Diſcite à me quia mitis ſum:* 8.

Sit

Sit *innocua*, sine detractione, murmuratione, aliove peccato, ad exemplum S. Augustini inscribentis mensæ suæ hos versus:
Quisquis amat dictis absentum rodere famam
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Et ad exemplum B. Joannis Cantii in parietibus domûs suæ hæc monita scribentis:

Diffamare cave nam revocare grave:
Conturbare cave non est placare suave. Quod ipsa experientia multos docuit. 9. Fugiendæ sunt comessationes ut monet Sapiens: *Noli esse in conviviis potatorum, nec in comessationibus* Prov: 23. Hinc evitentur convivia nuptialia, baptismalia, tabernæ, & similia; ut monet S. Hieron: Nepotianum: *Facile enim contemnitur Clericus, qui sæpè vocatus ad prandium ire non recusat.* 10. Fugiendi sunt ludi, in quibus vix deerunt rixæ, præcipuè qui prohibentur à Canone Apost. 42. & 3. ut lusus alearũ chartarũ &c. 11. Summè caveatur familiaris conversatio, cum fœminis, maximè discolis, nec sangvine junctis, juxta S. Aug: *quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt.*

§. II.

§. II.

Quomodo conversandum cum domesticis?

℟. 1. Cum *Gravitate* non enim debet esse eis familiaris, quia experientiâ teste, familiaritas parit contemptum. 2. Imperet illis *discretè.* 3. Mercedem reddat fideliter: *dignus enim est operarius mercede sua:* quodsi damna fecit in tractu servitii, rem aliis dijudicandam concedat, ne ex arbitrio Domini fiat depactatio, quia facile infamabit famulus de injuria: *Fama autem necessaria est nobis propter proximum, conscientia propter Deum.* 4. Curet ut œconomia non sit sordida, nec prodiga, nec avara, sed sobria, ordinata, paucis, Sacerdotalis: attendat ad illud Apostoli I. ad Timoth: 3. *Si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* 5. Domestici sint tales, qui aliis non creent suspicionis ansam, sibi periculum. Hinc Domus pro familia non sit sub eodem tecto cum domo Sacerdotali sed distincta & à longe: Fœminæ non sint permixtæ viris, multò magis fœmina nõ sit' sub eodẽ tecto cũ Pa-

 rocho,

rocho. 6. Ad mensam domi legatur lectio Spiritualis.

§. III.

Quomodo conversandum cum Magnatibus?

R. 1. Illi sunt honorandi juxta illud 1. Petri 2. *Deum timete, Regem honorificate:* ob status eminentiam, tum ob virium potentiam, tum ob favoris conservationem. 2. Cautè cum illis loquendum propter periculi præsentiam. 3. Raro sunt frequentandi, quia ad Magnates nec propè nec procul. Et quod attinet conversationem etiam cum amicis & familiaribus, servandum, ut non sæpè accedantur, & frequententur, ne fastidium ingeratur sæpe eundo ad aliquem, commune enim proverbium ex experientia promanavit: quod *illud est charum, quod rarum.*

§. IV.

Quomodo cum hospitibus?

R. 1. Benevolè sunt excipiendi juxta illud Apostoli: *Charitas fraternitatis maneat in vobis, & hospitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim placuerunt quidam, Angelis hospitio receptis* ad Hebr: 13. Et recorde-

cordetur verborum Xti: *Hoſpes eram & collegiſtis me.* 2. *Liberaliter & hilariter* in Domino & charitate non ficta tractandi, nam ut Deus hilarem datorem, ſic homo diligit, juxta illud: *In omni dato hilarem fac vultum* Eccl: 35. 3. De abſente hoſpite poſtquam abſceſſit, nil mali loquendum quaſi per cenſuram, quia hoc eſt abſurdum, inhoneſtum, & ſocietati humanæ ac ſinceritati Xtianæ contrarium, ac ſæpè ſcandaloſum.

§. V.

Quomodo cum Parochianis?

℞. 1. Amor debet eſſe æqualis, æquè ad pauperem, ac divitem. 2. Cavenda eſt nimia familiaritas, nec etiam debet eſſe erga illos moroſus aut gravis gravitate Hiſpanicâ. 3. Non debet eſſe nimis durus exactor in exigendis juribus ſtolæ. 4. Debet eſſe illis exemplar virtutum & morum ut vult S. Paulus 1. ad Tim: 4. ad imitationem primi Paſtoris Xti Domini *qui cœpit facere & docere* Act: 1. *Illa vox libentiùs auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat, quia quod lo-*

quendo imperat, ostendendo adjuvat, ut fiat. ait S. Greg:

§. VI.

Quomodo cum altero sexu?

℟. Vitandæ occasiones conveniendi & frequentandi, qui non est frequentandus, nisi id officii ratio vel charitas postulet non ficta, verumtamen cum sequentibus cautelis. 1. *Domum nunquam solus introeas, tales habeas socios, quorum contubernio non infameris. Solus cum sola secretò & absqué arbitro, vel teste, non sedeas.* Ita S. Hier: ad Nepotianũ. Etiã infirmarũ mulierũ confessio testẽ habeat. 2. Colloquia sint brevissima propter publicam ædificationem. 3. Aspectus fixus earum caveatur, multo magis attactus ob conservationem castitatis: *Memento quoniam malus est oculus nequam* ait Eccl: 31. & S. Basilius monet: *Non ex odio sexûs, sed ne ex ipsarum aspectu, in memoriam ejus, cui semel nuntium remisimꝰ, libidinis, redire cogamur.*

§. VII.

Quomodo cum Pauperibus?

℟. 1. Svaviter illos alloquatur ad causandam consolationem. 2. Christiané iis com-

compatiatur ad demonſtrandam dilecti-onem. 3. Charitative ipſis ſuccurrat ad illorum ſublevationem juxta monitum Tobiæ 4. v. 9. *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertire.* 4. Non erubeſcat pro iis apud divites Patronum agere Parochus, eleemoſinas petere; præcipuam curam agat Viduarum, pupillorum & Virginum pauperum, eorumqué, qui juxta ſtatûs ſui conditionem mendicare erubeſcunt, aut deſtituti viribus, vel toto corpore langventes in extræma rerum penuria, ac virium, hominem non habent: quod uni fit ex minimis iſtis, Xto fit, Matt:25.

§ VIII.

Quomodo cum Confinibus Sacerdotibus, ſuiſqué Subalternis?

℞. *Charitativè* ob vinculum fraternitatis, ut ſicut olim primorum Chriſtianorum, ita nunc Sacerdotum *ſit cor unum & anima una:* Act: 4. v. 32. 2 *Doctè & eruditè:* Frequentia ideo inſtituant colloquia tum ſpiritualia tum doctrinalia non in æmulatione ad jactandam ſapi-

entiam, sed eruendam veritatem juxta monitum Eccli:6.v.35. *In multitudine Presbyterorum prudentium, sta, & sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire.* 3. *Pacificè.* Unde hincinde aliquid est dissimulandum, quod personalem propriam injuriam attinet. Qui nescit dissimulare, nescit fraternè cohabitare, nequé regnare. 4 Subalterni id est Vicarii, Cōmēdarii nō sunt tractādi ut famuli, viceversà isti obediant Præpositis suis in bonum, senectutē eorum venerentur, fragilitatibus compatiantur, molestias patienter sufferant, memores se quoquè senio aliquando premendos: multò magis caveant seniculos supplantare, vel ambitu successionis laborare. *Quæcunqué vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis* Matt: 7.

§. IX.

Quomodo cum Hæreticis conversandum?

℟. Hæreticus qui nominatìm est excommunicatus sit tibi ut Æthnicus & publicanus; & de illo quadrat illud Pauli ad Titum: *Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita* c. 3. v. 10.

ac

ac illud Joan: 2. v. 10. *Nec ave ei dixeritis.* Pro his ac Hæreticis toleratis seu generatim excommunicatis sicut & cæteris infidelibus, valent sequentes modi Pastoribus animas eorum zelantibus inservientes 1. Pro iis est orandum: fides enim donum Dei est, nec aliquis venit ad Xtum nisi Pater traxerit eum. 2. Conciliandus est ante omnia affectus eorum per charitatem non fictam, ostendendo erga eos sincerum affectum, & alia officia humanitatis, ac amoris veri: per quod videant non quæri quidquam aliud, quā salutem eorum, & gloriam Dei, ut decet ministrum Xti. 3. Dubia reddatur secta, quam tenent, prudentibus, claris, & solidis rationibus: quod debet fieri verbis mansvetis, sine ardore animi, & confusione, convictivis: *Fratres si præoccupatus homo fuerit in aliquo delicto, vos hujusmodi instruite in spiritu lenitatis* monet S. Paulus ad Gal: 6. v. 1. 4. Inducat ipsos ad indifferentiā ut parati sint acquiescere veritati semel agnitæ. 5. Per considerationem novissimorum impellat eos ad seriam salutis curam, cum impossibile sit

eam consequi sine vera fide, sine quâ impossibile est placere Deo ad Hebr: II: v. 6. Proinde esse seriam, summamqué diligentiam adhibendam, ut in vera fide moriamur maximè cum in unâ, illâqué verâ fide solâ sit salus, & extra hanc nulla: *Unus Dominus, una fides.* ad Eph: 4. v. 5. 6. Exhortetur illos ut eleemosinis instent ac orationibus ad Deum, ut cognoscant petendo: *Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me* Psalm: 24. Et: *Notam fac mihi viam in quâ ambulē* Ps:142.7. Proponat illis unum dogma post aliud examinandum, quod dein illis explicet, & elucidet per sacras paginas & motiva credibilitatis juxta capacitatem cujusvis. 8. Solvere debet solidè objectiones eorum. His omnibus Pastor non poterit satisfacere nec præsumet, absqué multa scientia, quæ omnino acquirenda est ex controversistis ut sunt Becanus, Pichler, at pro Schismaticis alii libri singulares, acquirendi.

Et hæc de conversatione Pastoris animarum sufficiant, plura pia praxis probatæ vitæ Parochorum ac propria prudentia

dentia, quæ conſiderare debet locum, perſonas, & circumſtantias, edocebit.

INSTRUCTIO XII.

De cura ovium variis morbis ſpiritualibus obnoxiarum: & de modo aſſiſtendi moribundis & incarceratis. De Benedictionibus ac Proceſſionibus.

Curare oves eſt adhibere medicamina ſpiritualia ſanativa vel præſervativa à morbis ſpiritualibus. Præſervativa adhibenda à Paſtoribus animarum ſunt 1. Segregare oves morbidas à grege, uti ſunt publici peccatores: Meretrices, Hæretici, libri obſcæni, malæ conſvetudines, artes magicæ; in adminiculum cujus curæ vocabit Paſtor poteſtatem magiſtratûs ſæcularis, deferet Epiſcopo vel ejus Vicario. 2. Preces, jejunia, ſupplicationes, Parochianis injunctæ ad orandum, ut oves ſuæ à malo præſerventur. Cura ſanativa ſunt media adhibita reducti-

ductiva peccatorum à statu perditionis, ad statum gratiæ & reconciliationis cum Deo & proximo. Circa quæ 2, generaliter observanda, sunt sequentia

1. Curanda est infirmitas animæ sicut à medico infirmitas corporis: igitur inquirendum est in causam & ipsum morbum, seu vitia ac peccata, quibus vel communitas tota, vel persona, laborat.

2. Non statim medicina adhibenda, sed oportuno tempore, sic correctio fieri non debet, quando curandus, in vehementi est passione, aut alio impedimento præpeditus.

3. Studendum, ut radix evellatur morborum. Et curandum est præprimis quod est gravius, aut caput cæterorum, postmodum reliqua.

4. Medicina spiritualis sit svavitate illita, velut amara potio condita dulcoramine: *Instruite in spiritu lenitatis* monet Paulus ad Galat: 6. Proponenda peccati gravitas & fœditas: virtutis facilitas & pulchritudo: cœlestis gloriæ immensitas. Item svadenda librorum spiritualium lectio, novissimorum recordatio,

fervens oratio, crebra Sacramentorum frequentatio.

5. Cùm medico spirituali necessaria est benevolentia, hanc ei conciliabit blanda conversatio, & obsequia, quæ exhibebit. Hæc de cura animarum in genere, nunc de cura in particulari, singulis agetur Paragraphis quare sit

§. I.

Quomodo curandi sunt peccatores in genere?

℟. Inculcandum est illis I. Beneficium creationis & ejus finis, quod non ob alium creati, sunt nisi ut Deum ament, mandata ejus observent, & sic illi servientes laudando, adorando, obsequendo, tandem salvi fiant. *Dominum Deum adorabis, & illi soli servies* Matt:4. v. 10: cur ergo *Dominum Deum tuum qui te genuit dereliquisti?* Item proponendum beneficium *Redemptionis* quod tam multa ipsemet Dei filius passus est ut peccatores salvos faceret: *quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tu facis tantus labor ut sit cassus.* Item beneficium sanctificationis, præsertim in baptismo, & data sponsio circa abjurationem super-

biæ

biæ ac operum sathanæ, cur ergo non renuis hucusqué à Deo apostatare per peccata? 2. Explicanda longanimitas Dei in expectando ad pœnitentiam, ut dicit Sapiens: *Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam* tu autem *secundum impœnitens cor thesaurisas tibi iram in die iræ.* 3. Proponantur 4. novissima, mors certa, tempus mortis incertum, periculosus animæ peccatricis status: momentum, à quo infelix pendet æternitas *Quis ex vobis poterit habitare cum igne devorante?* 4. Monendi ut spem conversionis non abiiciant, Deus non denegabit gratiam dummodo cum Davide & Latrone ingemuerint & cum Publicano percusserint pectus ac dixerint *peccavi Domino, memento mei Domine! Domine non sum dignus oculos meos in cœlum attollere:* dummodo adhibeant media salutaria orationis, eleemosinæ in jejunio & planctu. Addatur: quantùm gaudium sit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente: hinc illis proponatur benignitas & bonitas Dei, in Parabola de filio prodigo elucens. Alias si non pœnituerint

timen-

timendæ sunt comminationes in scriptura per Prophætas expressæ: *Quia vocavi vos & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, ego quoqué in interitu vestro ridebo.* 5. Post conversionem, præscribantur salutaria remedia contra peccata, ut sunt: fervens oratio, sacramentorum frequentatio, præsertim confessionis apud unum, jejunia, eleemosinæ, afflictiones carnis. Cæterum curandi varios peccatores, modos vide in Hertzig *Manuali Parochi & Confessarii.*

§. II.

Quomodo curandi inimici? & obdurati?

℟. I. de *Inimicis.* 1. In neutram partem propendeat concilians, sed utriusqué sit mediator. 2. In causis civilibus compositionem vel transactionem svadeat, si verò velint quærere justitiam, cavere moneat vindictam. Transactionem verò & conciliationem per tertium bonum amicum facile procurabit. 3. Causas discordiarum removeat E.G. susurrones,

qui

qui Deo sunt odibiles, S. Paulo affirmante: *Cum defecerint ligna extinguetur ignis* Prov: 26. Sic etiam amoto susurrone jurgia cessabunt. 4. Explicetur meritum, quod habetur ex reconciliatione, & pax animi *Diligite inimicos vestros & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est* præcipit ipse Christus Matt: 5.

℟. II. De *obduratis* 1. Pastor studeat, ut lucretur animum obdurati per obsequia charitatis. 2. Peccati gravitatem explicet 3*tio* Dei minantis vindictam in textu præexpresso supra allegatam proponat. 4. Ipsemet pro illo in sacrificiis oret. Plura vide in Hertzig manuali Parochi & Confessarii.

§. III.

Quomodo curandi venefici, magi, malefici?

Dari magos præter S. scripturam Lev: 21. Act: 28. & Act: 8. ac alibi, quotidiana testatur experientia. Hi venefici, ac malefici, si velint converti ad Dominum non excluduntur à venia, hanc enim promisit misericordissimus Deus omnibus

bus peccatoribus, nullô excepto: ut Ezech: 18. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis vitâ vivet, & non morietur.* Et: *Vivo ego dicit Dominus Deus, nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à via ſua, & vivat.* Hæc Dei miſericordia eis proponenda, & etiam diſponendi ut confiteantur integrè, & Sacramenta Eccleſiæ ritè ſuſcipiant.

In confeſſione examinandi ſunt circa ſequentia peccata, quæ committere ſolent iſti homines. 1. Multi ex illis non credunt diabolum damnatum eſſe, ipſiuſqué adhærentes damnandos, quod eſt contra ſcripturam quæ docet Matt: 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus* 2. Apoſtaſia à fide. 3. Idololatria, Diabolum enim loco Dei adorant, & ipſi ſerviunt, qui eſt creatura Dei ſed hoſtilis. 4. Blaſphæmia in Deum, B. V. M. & Sanctos. 5. Sacrilegium, ſeu abuſus rerum ſacrarum, & Euchariſtiæ. 6. Commiſcent ſe ſæpe luxurioſé cum Dæmone. 7, Alios ſeducunt, quibus viam per pœnitentiam ad

con-

conversionem sternere debent. 8. Damna inferunt, quæ erunt resartienda. Libri si qui magici sunt reperibiles, comburendi. Conversi præmuniantur SS. Reliquiis, Cruce, aliisqué benedictis. Diaboli insultus fugabunt, si cum firma fide & spe formaverint crucem dicendo: *In nomine Domini nostri Jesu Xti præcipio tibi damnate spiritus, vade, ille enim dixit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies: Deum verum adoro illiqué soli servio. Et verbum caro factum est &c Ecce ✝ Crucem Domini fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Juda &c.* Vel si hæc dicere non potest, habeat scriptum à collo pendens, illoqué se muniat semper.

§. IV.

De curatione obsessorum & maleficiatorum.

Quo ad 1mum Obsessos liberare potest quivis ab Ecclesia ordinatus Exorcista, quamvis hoc officium exerceant nunc soli Sacerdotes, & hi non prius, nisi habitâ in scriptis licentiâ ab Episcopo. Advertendum autem, quod non facile credendum est, aliquem obsideri à Diabolo,

nisi

nisi certæ obsessionis prodat signa: Signa autem obsessionis alia sunt certa alia probabilia. *Certa* signa sunt: Ignotâ lingvâ benè, & diu loqui; distantia, aut occulta patefacere: imitari voces diversorum animalium: facere, quod viribus naturalibus fieri non potest, ad sacra contremiscere, unde ad bibendum detur aqua benedicta, & non benedicta, reliquia sacra & non reliquia in involucro, si sciant semper discernere, signum est certum obsessionis. *Probabilia signa sunt:* ad sancta verba contremiscere, ea detestari, dolore ob ea affici, corporis insolita inflatio, si lingvam tumidam & nigram protendat, si spumet ore, in terram elisus volutetur &c. Si probabile signum adest, maleficiatum disponat ad actum fidei, unà cum ipso oret *Pater noster, Symbolum*, & S. Spiritum invocet, & ponat manum super maleficiatū, aspiciat eum fixis oculis, secretò præcipiat Dæmoni hâc conditione, ut si ipse illius mali sit author, signum aliquod edat, agitando hominem illum coram se absqué illius nocumento: E. G. præceptum istud

ita potest fieri: *Ego N. Minister Xti & Ecclesiæ in nomine Jesu C. præcipio vobis immundi spiritus, si qui latetis in Corpore hujus hominis à Deo creati, vel si quô eum modô vexatis, ut statim mihi præbeatis aliquod signum evidens & certum præsentiæ vestræ absquè nocumento quocunquè.* Ad eandem formam faciendum est præceptum, si persona obsessa vult aliquod Sacramentum suscipere E.G. Sacram Synaxim & Diabolus eam torquet: *Ego N. Minister Xti & Ecclesiæ, in Nomine Jesu Christi præcipio vobis immundi spiritus ut hanc personam non vexetis sed eam ad Corpus Jesu Xti accedere non impediatis.*

Hæc præcepta præmissa, & alia, quibus opus fuerit, roborentur firmâ fide & cogitatione tum athoritatis & muneris sui, quô fungitur tanquam Dei minister, tum demùm victoriæ, quam Xtus Dominus ab omnibus inferni hostibus reportavit.

Ulterius sciendum est, reperiri aliqua maleficia, quæ dicuntur potestativa, in quibus Dæmon nec invadit membra, nec assiduo inest maleficiato, idcircò fieri potest,

test, ut adveniente Exorcistâ recedat Dæmon, ne cogatur signum edere, tunc vivâ & firmâ fide, ac fiduciâ, debet ipsi præcipere si adsit, ut signum edat, si non adsit, statim accedat, & imperata exequatur.

Licet absolutè necessarium non est interrogare Dæmonem de nomine illius, attamen id poterit esse utile, ut sciat Exorcista, quem ex illis execrandis spiritibus alloqui debeat. De numero etiam interrogare poterit, ut sciatur an signa maleficij plura sunt, an unum tantum. Interrogare potest de causa invasionis, ut cognoscatur an maleficium factum est ad tempus, an in perpetuum. Interrogare potest de die & horâ discessionis, ut sciatur quomodo Dæmones inter, ac maleficum conventio facta sit & pactum; pariter scire juvat signa maleficii, ut ea destruantur, tum ut dissolvatur idem pactum, si hâc conditione fortè initum fuit.

Regulæ pro Exorcismo sunt sequentes.

1. Potissimam virtutem in hoc negotio non consistere in multarum reliquiarū etiam insignium applicatione, quamvis &

hoc sit efficax remedium, sed omnia potiùs facienda cum firma in Deum fide, Xtus enim dixit *In nomine meo Dæmonia eiicient.* Ab omnibus enim AA. fides pro efficacissimo hic medio requiritur, atqué assignatur.

2. Cum fide requiritur profunda animi demissio, & humilis simplicitas, quia spiritus superbissimus à nullo magis, quàm ab humili, simplici, mansveto Exorcista, & simplici modo exorcismi, superari potest.

3. Fiducia certa in Deum requiritur, ad illam Xti promissionem *Quodcunqué petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Unde sæpe adhibeatur Exorcismus per nomen Jesu, & petitio ad Patrem, ut liberet.

4. Requiritur conscientia pura; non omninò autem sanctitas, quia non in privatâ suâ, sed Xti & Ecclesiæ sanctitate intendere debet liberare à diabolo

5. A multiloquio abstineat, nec curiosa à Dæmone exquirat, potest tamen propter adstantes de cœlo & inferno ac si-

milibus pauca imperare, ut enarret.

6. Orationem & jejunium addat juxta doctrin: Xti Matt: 17.

7. Adhibeat ceræmonias & Exorcismos ab Ecclesia approbatos, indutus superpelliceo & Stolâ viol: col: Exorcismi inveniuntur in libro Gelasii cui titulus *Locupletissimus thesaurus continens varias & selectissimas benedictiones, conjurationes, Exorcismos.* Item in Malleo maleficorum ex variis AA. compilato.

8. Obsessus disponatur ut confiteatur vel doleat & mundæ sit conscientiæ, atqué oret, *Pater noster vg.* dicendo, & inhærendo ultimæ petitioni *libera nos à malo.*

Nota In obsessis eædem virtutes requiruntur quæ & in Exorcista, hinc indigent Fide, Spe, Charitate, fiduciâ, & puritate conscientiæ, atqué oratione crebrò faciendâ.

9. Exorcismus plerumqué post Sacram Communionem exercendus.

10. In Exorcismo mulierum observandum, ut mulieres sint præsentes probatæ vitæ, si locus sit solitarius, & coram vene-

rabili (quod non est admovendum corpori obsessi)vel coram alia imagine: adstantes exhortandi sunt ad actus Fidei, Spei, charitatis, & ad orandum.

11. Vultu hilari aggrediatur Exorcismum, non obsessum sed Dæmonē affligat.

12. Dæmoni superbissimo spiritui exprobret pœnas &c. E.G. *Non recordaris execrande, maledicte spiritus, te propter superbiam tuam æternùm damnatum esse, te à Xto victum esse &c.*

13. Si loqui velit, Exorcistam vg. laudare, non sinat eum loqui.

14. Imperandum ne phantasiam obsessi perturbet, sed aures benevolas Exorcistæ præbeat, ut relinquat obsessum in naturæ suæ consentaneo statu &c.

Quo ad 2dum Domus infestantur jam ob habitatores & dum illi abscedunt, infestatio cessat: Jam ex aliis causis. Infestant autem Dæmones varios effectus præstando, scilicet apparendo in variis formis, clamores excitando, terrendo, trepitando, animalia domestica torquendo, occidendo, & variè vexando. Contra has infestationes

nes Parochus vel Exorcista eô modô procedet.

1. Dominus domûs, & domestici orent remissionem peccatorum, quæ fuerunt admissa: Divinam bonitatem rogent, ut hanc pœnitentiam dignetur acceptare, domumqué liberare.

2. Excitandi sunt ad fidem, & fiduciam, quod Exorcista in nomine Domini possit eos liberare. Item instruendi sunt, quod ordinariè non proveniat infestatio áb animabus purgatorii, vel damnato ibî sepulto, vel à thesauro ibi latente, sed à Dæmone. His peractis.

3. Expedit in domo instituere processionem & orare Litanias OO.SS. in loco, qui magis infestatur, cooperto capite, superpelliceo, & violaceâ Stolâ indutus, præcipiat Dæmoni illis formis, quæ habentur in citt: AA. postea aspergat locum & domum aquâ benedictâ, habitantes commoneat vitæ probæ.

Hæc eôdem modo fiant in bestiarium liberatione, aut quando maleficia matrimoniis nocent.

Nota I. Adhibiturus exorcismos contra maleficia, aut veneficia, prius medicos vel alios artis peritos consulat, num verum sit maleficium. Compertâ veritate adhibeat devotè ante imaginem crucifixi & ardentibus candelis exorcismos, quos inveniet in citt: AA.

Nota 2. Præmuniendi se contra infestationes Sathanicas hæc sunt media 1. Oratio ut Tobiæ 6. 2. jejunium Matt: 17. v. 20. 3. Eleemosina. 4. Invocatio Nominum: *Jesus Maria.* 5. Signum S. ✠. 6. S. Reliquiæ. 7. Aqua benedicta. 8. Variæ fumigationes benedictæ; quæ omnia populo sunt commendanda cum fide ac fiducia.

Nota 3. Si maleficio sit affectus homo potest uti balneo seu lavacro ex herbis exorcismo præmisso, benedictis, Herbæ autem illæ sunt sequentes: *Ruta*; *Salvia*, *S Elisabethæ herba* vulgo S. Elżbiety źiele: *Eringium*, vulgo Mikołajek, *Philochares*, vulgo Szanta: *Abretamum*, vulgò Bożedrzewko, *Serpillum*, vulgò Maćierzanka, *Hysopus* vulgò Hizop, *Milium agreste*

vulgô

vulgò Roſtrzyg, *Artemiſia*, vulgò Bielica, *Linaria*, vulgò Lenek P. Maryi, *Chamæmelon*, vulgò Rumianek, *Morſus Diaboli* vulgò Czartopłoch, *Laſer*, Czartowe żiele: *Palma Xti major*, Rączki P. Jezuſowe, *Verbaſcum*, Dżiewanna, Betonica, Bukwica, *Origanum ſylveſtre*, Lebietka S. Jana żiele, *Hypericum*, *Cichorium*, Podróżnik. Imo illis poteſt ſuffumigari locus & quævis res maleficiata.

Benedictio Herbarum prædictarum cum exorciſmo.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Dni.
℟. Qui fecit cœlum & terram.

DEUS Omnipotens, qui in creatione univerſi, inter mirabilia opera tua dixiſti: Germinet terra herbam virentem & facientem ſemen, & lignum pomiferum, & facientem fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen ſit in ſemetipſo ſuper terram, & eam dediſti nobis in eſcam & uſum, quia valde bona: ſic propter nomen tuum laudabile, benedictum, magnum, & glorificatum in cœlo & in terra, pone dexterâ tuâ largam benedictionem ✠ ſuper has herbas,

&

& eas repleas cunctis benedictionibus: Prout ego in nomine S. tuo Jehova eas exorcizo benedico ✠ & sanctifico ✠, ut ubicunqué collatæ fuerint sive in plumis vel palleis vel lectis, vel in domibus, & in quibusvis locis: vel si quis super se habuerit vel in balneo lotus, per omnipotentiam tuam, & virtutem acerbissimæ passionis D.N.J.C. Filii tui elonges ab eis omne malum, omne periculum, omnes virtutes & opera sathanæ, sicut elongatum est cœlum à terra lux à tenebris, veritas à mendacio, nec habeant potestatem adversarii nostri latitandi, nocendi nec permanendi in creaturis ipsis & locis. Et ideo per eum, qui dat herbam, servituti hominum, & per virtutem nominis Tetragrammaton, & per vocem ipsius dicentis: Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt: Has herbas NN. benedico ✠ & sanctifico ✠ ad fugandos Dæmones & ad destruendum annihilandum & extirpandum ac eradicandum omne maleficium incantamentum, ligaturas, signaturas, & facturas à corporibus hominis & ab aliis creaturis,

aturis, & à quibuscunqué locis omne opus Diabolicum factum vel faciendum, ita quod ibi nulla habitatio & nulla virtus sit inimici, sed in nomine Jesu, cujus sanctissimum nomen virtutem & potentiam invoco super has herbas, recedant maledicti & vadant præcipites confusi in barathrum in tartarum, in gehennam & infernum cum omnibus operibus suis hæreticalibus & inhabitent Sancti Angeli Dei, ut recipiant sanitatem. Et sicut germinatur herba de terra, sic ros de cœlo & virtus Spiritûs Sancti pluat super herbas & per suam benedictionem ✠ fiant herbæ virentes, pascuæ pingves super montes Isràél. Require D. Deus quod perierat: reduc quod erraverat: alliga confractum & consolida, quod infirmum est. Custodi quod forte & pingve est, & pasce oves tuas, accubare facias in sinu Abrahæ. Per Jesum Xtũ qui dolores nostros & langvores portavit qui vulneratus est propter iniquitates nostras & attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus: qui vivit &c.

Benedictio 2. balnei cum exorcismo:

Exor-

EXorciso te unda condita Balnei per Deum Patrem ✠, per Deum filium ✠, per Deum Spiritum Sanctum ✠, per Deum, qui simile lavacrum Moysi servo suo fieri mandavit dicens: Fac labrum æneum cum basi sua ad lavandum. Per Deum, qui lavit nos à peccatis nostris in sangvine suo. Per Deum, qui nos per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs S. in filios adoptionis accepit, ne tibi aliquid commune sit cum spiritibus immundis. Sed Sanctificeris ✠, ut sis Xti fidelium purgatio, & immundorum spirituum abdicatio, atqué maleficiorum omnium ab homine sive à Diabolo factorum exterminatio: Ita ut quicunqué ex te corpus suum laverit, Divinam in te virtutem sentiat affuisse. Per eum, qui venturus est judicare vivos & mortuos & sæculum per ignem, Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

OMnipotens æterne Deus ante cujus conspectum tremunt Angeli & infer-

nus

nus ululat, qui Judith ancillæ tuæ quæ corpus suum laverat &ornaverat, tantam gratiam donare dignatus es, ut Holofernicida fieret, & populum tuum ab obsidione liberaret, benedicere & sanctificare ✠ dignare hoc ablutionis genus, ut quisquis ex eo corpus suum laverit, valeat Holofernis inferni virtutem interimere, & ab ejus vexatione liberari atqué ab omni maleficiorum genere misericorditer te præstante salvari. Per Deum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui aquâ in pelvim missâ discipulorum suorum pedes humiliter lavit, & tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs SanctiDeus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Sciendum Signa malum non bonum spiritum apparere, sunt. 1. Si ad verba *Omnis spiritus laudet Dominum* fugiat, vel contrariè se exhibeat. 2. Si res benedictas horreat. 3. Si prætendat suæ apparitionis caussam pravam, aut falsam. 4. Si proferat quid contra fidem vel bonos mores. 5. Si apertè vel subdolè mentem hominis excitet vel inducat ad malum. 6. Si appareat

in

in forma deformi & horrifica cum tumultu, vel in specie sordidi animalis: &c. 7. Si postquam præstitum est, quod petiit subsidium, rursùs quæsitis aliis causis redeat. Plura rescies in hac materia ab exercitatis benè Exorcistis.

§. IV.

Quomodo curandi sunt infirmi, & quomodo assistendum est moribundis?

Priusquam de moribundis agam, de infirmis prius instruendum judico quomodo cum illis procedendum sit. hinc

Nota Aliter cum infirmis procedere debet Pastor si vocatus sit, & aliter si non sit vocatus sed tantum visitat per modum hospitis.

1. *Vocatus*, sine mora adsit etiam intempestivâ nocte. *2do* Non sit satis infirmo Sacramenta administrasse, quid enim prodest gratiam Sacramentalem accepisse, si eam perdat, & damnetur? *3tio* Idcirco sæpius ægrotum visitet, quod est opus maximæ charitatis, præcipuè in agone ei assistendo: tunc enim *descendit diabolus habens iram magnam, sciens quod modicum tem-*

pus

pus habet. Apoc: 12 v. 12. *4to* Ingreſſus ad ægrotum circumſtantes &lectum aſpergat aquâ benedictâ, & agat ut ſupra dictum, ubi de modo adminiſtrandi Sacramenta, dictum eſt, de communione ſeu viatico & extr: unct:

2. *Non vocatus* ſed tantum viſitans & non advertens in mora periculum, non loquatur ſtatim de confeſſione, viatico &c. ſed blande infirmum & circumſtantes ſalutet, condoleat de morbo, inquirat de ſtatu ipſius, diſcurrat de rebus indifferentibus, ac de miſeriis generis humani. 2. Prudenter deflectat diſcurſum ad infirmũ, ut curet animam per Eccleſiæ Sacramenta, nec plus fiduciæ in medicis ac medicinâ, quam in Deo reponat, ut Aza Rex 2. Paral: 16. 3. Si periculum ſubſit accelerandum, ut diſponat de negotiis intricatis (ne heredibûs relinquat fomitem altercationum & majorum malorum) ut ipſemet reſtitutionem faciat ſi per ſe ipſũ poteſt, &c. ordinanda de bonis mobilibus, immobilibus, votis exſolvendis, debitis, creditis occultis, teſtamento; ſvadeat ſva-

viter,

viter, si nolit, serio. Hic tamen caveat Parochus, & quivis sacerdos ne testem, vel testamenti directorem agat, vel sibi aliquid relinqui petat. 4. Post factum testamentum, post datum amicis vale, liberis monitum & benedictionem, moribundum disponat ut non solicitus sit de transitoriis, sed æternis imo cum Christo agat, cogitet, & dicat: *Exivi à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Idcirco cogitet quomodo velit comparere coram tribunali Divino: Necesse proin erit, ut inimicis suis ex animo condonet, aliena restituat, viaticum sumat juxta monitum Angeli, 3 Reg: 10. *Surge comede grandis enim tibi restat via:* & extræmam unctionem: explicet proin effectum horum Sacramentorum, ipsum admoneat, ut lucretur Indulgentias Confraternitatum moribundis concessas. 5. Si Infirmus pauper sit, Pastor etiam corporis ejus curam habeat, exigendo pro ipso eleemosinam à divitibus pro medicina, alimentis &c. 6. Breviter sunt omnia tractanda apud infirmum, maximè si torque-

tur

tur doloribus: unde ipsum benedicat oratione, quæ habetur in Completorio: *Visita quæsumus Domine* &c. vel alias pro eo preces offerat, & domesticis mandet ut ipsum reflectant spiritualiter, quoties poterint. 7. Occupetur infirmus meditatione Passionis Xti, instruatur piis, nervosis, brevibusqué actibus ad Crucifixum, ne sit otiosus & det locum tentationi. 8. Prohibeat ploratum uxoris, liberorum, conscientiam super his eorum onerando, explicandoqué, quod gravius infirmum affligant ista, & præbeant tentationes. 9. Caveat Sacerdos ne halitum attrahat infirmi, proinde aurem potius non ora ipsi applicet, & ad aures infirmi sedeat, non sub os ejus se collocet: præsertim tempore pestis, quô semper cum vento accedendi sunt infirmi non subeundo ventum ab illis flantem: utatur contra infectiones fabâ Ignatii in ore tenendo, granis Juniperi, aliisqué præservativis pelles non habeat in se, præcipuè confidat in Deo, corde & ore proferendo Psalmũ *Qui habitat in adjutorio altissimi &c.*

10. Non ultra moretur quam ad hæc explenda, quæ sunt necessaria, tempus sufficerit, ne odiosa reddatur visitatio infirmo: nisi aut sit periculum, aut ipsemet affectet, & petat &c.

Nota 1. In cubiculo infirmi esse debent sequentia: 1. Crucifixi imago, quam sæpe inspiciat & commoveatur. 2. Aqua lustralis, quâ sæpe aspergatur præcipue in agone, ubi crebrô formentur cruces addendo verba: *Ecce Crucem Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de tributu Juda Radix David: Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte & immortalis, miserere,* 3. Liber Oratorius, ex quo oret aut oretur. 4. Cereus benedictus dandus in agonia.

Nota 2. Tentationes, quibus aggreditur Dæmon infirmos & moribundos sunt: 1. Timor de vita amittenda. 2. Amor bonorum possessorum. 3. Sollicitudo de conjuge & liberis. 4. Impatientia. 5, Odium vel vindicta. 6. Contra fidem. 7. Desperatio si scelestè vixit, vel præsumptio, si aliquomodo virtuôsè & bona præstitit multa. Plures ex confessine

infir-

infirmi cognosci possunt. Contra has tentationes, cum cognitæ sunt ex infirmo, documenta parata ex Sacra Scriptura, libris Spiritualibus, & Agendis debet habere Sacerdos, & suggerere infirmo. Juvat ad aurem insusurrare infirmo: *Credo Domine adjuva fidem meam: spero in te Deus meus quia fidelis & misericors es: Amo te summa infinita bonitas, quia tu prior amasti me, redemisti me Crucem passus. Doleo ex corde meo pro peccatis meis: Nollem amplius peccare. Maria Mater gratiæ Mater misericordiæ, tu nos abhoste protege, & horâ mortis suscipe.* Hæc & plura breviter & cum respiriis, addendo *Jesus, Maria, Joseph, vobis commendo spiritum meum.* Plura suppeditabit Agenda. Cæterum:

Proxime moribundis sic est assistendum.

1. Removeantur flentes & ululantes, ne turbent moribundum. 2. Inducendus est per actus Fidei, Spei, Charitatis, ad contritionem, resignationem, patientiam, dolores suos uniendo cum doloribus crucifixi, Deo Patri offerendo &c. Ad eliciendos hos actus servient breves

nervosi & consolatione pleni S.Scripturæ & Patrum textus, aliiqué, quos Agendæ subministrant.

3. Agantur Patri gratiæ pro benef: Creationis, conservationis, Filio pro Redemptione, Sacramentorum institutione, si tempus superest, vel saltim per brevem actum: *Gloria Patri qui me creavit, gloria filio qui me redemit, gloria Spiritui S. qui me sanctificavit.*

4. Moneatur in doloribus ut hos offerat Deo pro peccatis quæ totâ vitâ suà commisit in satisfactionem, loco purgatorii.

5. Invocet S. illum, cui specialiter in vita devotus fuit, & B.V. M. ut supra vg. *Maria Mater gratiæ*, item alios Patronos bonæ mortis ut sunt: SS. Joseph, Barbara, Angelus Custos. 6. Cum est jam vicina mors agonizanti detur cereus, Ecclesiæ consveta recommendatio oretur: adstantes dicant Litanias de B. V. M. vel de nomine Jesu: Cum agonia protrahitur longius, addantur & de OO. SS. Sacerdos breviter nec celeriter

ad

ad aures inclamet mediocriter: *J. M. J. vobis commendo spiritum meum.* 7. Postquã exspiravit, speculum apponatur, si halitus in speculo non appareat, signum est plene exspirasse. 8. Adstantibus, pro anima, injungenda sunt *Pater, Ave, De-profundis* & aliæ orationes, Et monendi sunt de morte certâ, horâ mortis incertà, facto assumpto, & cætero contextu ex circumstantia illius mortui.

Nota 1. Si circa sepulturam vel eleemosinam quid Sacerdoti commiserit defunctus, id aperiendum eis, quorum interest. Præterea monendi sunt domestici, ut recordentur animæ defuncti, ut circa corpus cereum benedictum accendant, corpus aquâ benedicta sæpe aspergant, Rosarium vel imaginem Crucifixi defuncto in manus apponant. Missæ Sacrificia pro eo fieri curent. Ut charitatis etiam post mortem non oblivisantur.

§. V.

De cura incarceratorum & condemnatorum ad mortem.

Incarcerati visitandi sunt maximè à

Parocho, nam Xtus ait: *In carcere eram & visitastis me.* Pro quâ visitatione ista sunt observanda. 1, Curandum ut visitans animum sibi incarcerati devinciat, quod fit maximè benefaciendo, compatiendo, consolando. 2. Visitatio communiter fiat post judicialem confessionem, vel si hæc nimium differatur, potest ante illam, ne desperent, ut contra tentationes præmuniantur, vel maximè si sit in illis ignorantia necessariorum necessitate medii vel præcepti, ut instruantur, 3 Curet eós reponere in statu gratiæ ut cum fructu supportent molestias carceris. 4. Foro Judiciarió non immiscea se Sacerdos, unde nec inducet incarceratum, ut reum se fateatur, nec improbabit coram eo judicialem procedendi modum &c. sed dicet, quod similia ad confessarium non spectant, sed velle se ei assistere, quantùm ad æternam salutem ei necesse est, non tamen defuturum in bonum ipsius, quantùm status sui ratio permiserit. 4. Incarcerato non exprobret ejus crimina, nisi quantum ad

forum

forum conscientiæ in confessione necesse fuerit. 5, Contra tentationes muniat, quæ oriuntur 1. ex inclusione & solitudine. 2. Ex fætore carceris. 3. Ex infâmia. 4. Ex odio erga instigantes, captivantes &c.5.Ex damnationis ad mortem timore, atqué supplicii. His tentationibus opponat meditationes Passionis Xti, vitas SS. Martyrum, qui hæc resignatissimè passi sunt absqué culpâ. Persvadeat ut se commendet S. Dismæ in cruce patienti atqué contrito corde dicenti: *Juste patimur & digna factis recipimus.* Idcirco Justitiæ & potestati sese patienter & humiliter subiiciant, tanquam Dei vicariæ, nam: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt.* ad Rom: 13. Admonendi sunt, ut sententiam libenter acceptent pro culpâ & pænâ loco purgatorii,cujus pænarum atrocitas explicanda, ut pœnæ mundanæ ex opposito leviores ipsis appareant.6.Attendat,quod multa mala docet otiositas, ideoqué præscribendæ sunt illis hone-

stæ occupationes E.G. mane ut absolvant preces matutinas, recommendent se in Sacrificia, quæ in Ecclesiis celebrantur: recitent Rosaria, aliasque preces, & opera honesta faciant, quæ possunt. 7. Inquirendum genus, ars, patria, religio & vita, ex quibus animæ status facile cognosci potest. 8. Adhortandum ad confessionem generalem totius vitæ. S. Communio pridie danda est ante executionem, ac vinculis solutis. 9. In die fatali rursùs confiteantur, Indulgentias lucrentur, præmittantur Sacrificia. 10. In via ad supplicium prælegantur pii affectus ex libro pro talibus comparando, vel illi, qui cum moribundis elici solent. Possunt cum illis dici Psalmi Poenit: Litaniæ de Nomine Jesu, de B. V. M. Crucifixus osculandus sæpe proponatur. 11. In via cavendum, ne jubeat Sacerdos ire citiùs 12. Non detur illis nimium bibere, nec expedit illis tota nocte orare, quia vix bene disponentur: 13. Post mortem anima circumstantibus commendanda & exhortatio utiliter facien-

cienda, ex circumstantia facti, ût alii à talibus abstineant & abhorreant vitiis. Ubi de bona educatione monendi Parentes, & ab inobedientia legis ac parentibus &c. dehortandi Juvenes.

§. VI.

Quæ observanda sunt de processionibus.

Processiones adhuc in veteri testamento erant in usu ut 2. Reg: 6. & 3. Reg: 6 In nova lege autem usus earum antiquissimus est, quarum meminit S. Rabanus Archiep: Moguntinus ante mille annos, & Leo Imus anno 146. scribit eas incepisse, propter horribiles terræ motus.

Porro Processiones instituuntur, quã do Ecclesia illas præscribit, ut præscribit in festo S. Marci, diebus Rogationum, Corporis Xti. Harum finis est, ut Deus fructus terræ dare & conservare dignetur. Item instituuntur, si eas consvetudo loci iutroduxit, vel quando necessitas, aut magna utilitas eas exigit: uti fit quando vel sterilitas agrorum, aut pestis, aut bellum, ingruit &c. Parochus

etiam eas in sua Parochia indicere potest absqué licentiâ Superioris ob bonũ particulare suæ Parochiæ.

Processiones hoc modo fiant: Præferatur Crux, imagine Xfixi terga vertente ad populum, ut quasi præire videatur, & vexilla jam majora, jam minora, pro qualitate Ecclesiæ, tanquam signa militantis Ecclesiæ. 2. Postea Clerus & Parochus. 3. Bini ac bini exemplariter incedant. 4. Populus post terga Cleri vel Parochi. 5. Modestia omnimoda servetur, nec concedatur garriendi tempus ac colloquendi. Qui contra devotionem peccant, emendentur & castigentur ad terrorem cæterorum. 6. Cantores sint qui præcedant. 6. Preces aliaqué pia exercitia adhibeantur. 8. Exhortatio præcedat, & subsequatur, si necesse fuerit. 9, Sæpius instruatur populus cur sint institutæ Processiones? ut scilicet sit publica fidei professio per hoc ipsum, ut SS. patrocinia, aliaqué beneficia impetrentur ut supra dictum. 10. Quoniam vero nil tam Sanctum est quo humana

per-

perverſitas non abutatur, caveatur abuſus ac tollatur. De publicis aliiſqué Proceſſionibus lege Merati & Bauldri.

§. VII.

Quæ de Benedictionibus obſervanda?

Benedictio rerum ab Apoſtolis promanavit ut dicit I. ad Timoth: 4. Apoſtolus: *Omnis creatura ſanctificatur per verbum Dei, & orationem.* Et Xtus Author benedictionum variis in locis allegatur benedixiſſe: ſic benedixit quinqué panibus & duobus piſcibus: Marci 14. Lucæ 24.

Porro aliæ benedictiones pertinent ad Epiſcopos, uti: campanarum, altarium, calicis cum patena & cæterorum, in quibus intervenit unctio S. Chriſmatis. Item Paramentorum pro ſacrificio, quæ etiam Abbates Pontificalia exercentes poſſunt benedicere. Vide Lacroa lib: 6. nro 353. Item Imaginum, Crucium, ad publicum cultum expoſitarum. Reliquæ benedictiones pertinent ad ſimplices Sacerdotes, uti aquæ luſtralis comeſtibilium & potus, reconciliandarum

veſti-

vestium ex lotione ad Sacrificium, domorum, ædificiorum aliorum, cæterarumqué rerum œconomicalium, uti animalium, retis, agri, sementis, &c.

In omni simplici benedictione hæc sunt observanda: 1. Extra missam benedicens Sacerdos, saltìm superpelliceo, & stolâ pro ratione temporis sit indutus, nisi aliter notetur in Missali. 2. Stando semper benedicat, omniaqué graviter, reverenter, & decenter peragat. 3. Incipiat benedictionem semper à ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum &c.* Deinde ut præscribitur. 4. Manus junctæ teneantur ad orationes. Benedictiones variæ reperiuntur in Agendis, quas necessé est perspicere, & ritus earum præser ipsos prælegere ac observare. *Et hæ instructiones ad exigentiam Decreti S. Concilii Tridentini pro Tyronibus Ecclesiasticis in Seminario datæ respectivè ad functiones Ecclesiasticas ritè & providè exercendas in praxi, prout ipsemet exercebam, puto quod sufficiant: .Si aliquis, ad praxim superaddenda alicat, filibenter cedo, modo sit instructos*

in

in Seminario plenè Clericus, ut necesse est ac decet Ministrum Xti, Nunc jam coronat opus

COROLLARIUM.

Exhibens preces, quasconsveverunt recitare Clerici sub Regimine nostro in Seminariis existentes.

Preces in Seminariis à Clericis sub regimine nostro existentibus recitari solitæ, nobis communes, juxta dimensionem temporis diurni ad tria reducuntur capita. *1mum* est quod dicitur Statio matutina. *2dum* Statio meridiana. *3tium* Statio vespertina. Singulæ annotantur, in fine benedictiones mensæ apponentur. Opus totum claudent Regulæ modestiæ â Clericis observandæ.

STATIO MATUTINA.

Dato signo campanæ Seminaristicæ, dicuntur Litaniæ Lauretanæ.

Kyrie

Kyrie eleison, Christe eleison,
Kyrie eleison.
Christe audi nos, Christe exaudi nos,
Pater de cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemtor mundi Deus, Miserere:
Spiritus S. Deus Miserere:
S. Trinitas unus Deus Miserere:
S. Maria,
S. Dei genitrix,
S. Virgo Virginum,
Mater Christi,
Mater Divinæ gratiæ,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,

Ora pro nobis.

Ora pro nobis.

Virgo fidelis,
Speculum justitiæ,
Sedes sapientiæ,
Causa nostræ lætitiæ,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,

Ora pro nobis.

Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis arca,
Janua Cœli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,

Ora pro nobis.

Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophætarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,

Ora pro nobis.

Regina

Regina SS. OO.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi
Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis pecc: Exaudi nos:
Agnus Dei qui tollis pecc: Miserere &c.
Christe audi nos Christe exaudi nos
Kyrie elei: Christe elei: Kyrie eleison.

Ave Maria secreto.

SUb tuum præsidium confugimus Sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa & benedicta.
℣. Ora pronobis Sancta Dei Genitrix.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Xti

Oremus.

GRatiam tuam quæsumus Domine mentibus nostris infunde, ut qui Angelo nuntiante Xti Filii tui Incarnationem cognovimus, per Passionem ejus & Crucem, ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Xtum Dominum nostrum ℟. Amen.
℣. Ora pro nobis Beatissime Joseph:
℟.

℟. Ut digni efficiamur promiſſioni: Xti.

Oremus.

SAnctiſſimæ Genitricis tuæ Sponſi, quæſumus Domine meritis adjuvemur, ut quod poſſibilitas noſtra non obtinet, ejus nobis interceſſione donetur. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum Amen.

Addantur ſequentes verſiculi & Reſponſoria cum Oratione pro Ordinario Loci.

℣. Salvum fac famulum tuum N.
℟. Deus meus ſperantem in te.
℣. Eſto ei Domine turris fortitudinis
℟. A facie inimici
℣. Nil proficiat inimicus in eo
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Domine exaudi orationem meam
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper famulum tuum N. & ſuper gregem ei commiſſum, Spiritum gratiæ ſalutaris, & ut in veritate tibi placeat,

perpetuum ei rorem tuæ benedictionis infunde.

Poſtea dic:

ÆTerne rerum omnium effector Deus memento abste animas infidelium, hæret: &c. *quam orationem vide infra in Statione meridiana,* quâ finitâ.

℣. Nos cum prole pia

℞. Benedicat Virgo Maria.

Hiſce precibus finitis, probè ſe examinent ſub ſilentio in tribus punctis. 1mo quomodo præterita nocte antequam cubitum conceſſerunt conſcientiam examinaverint. 2do. Quomodo preces & exercitia compleverint, & in quibus cogitationibus atqué deſideriis dormitum ſe contulerint. 3tio. Quomodo ſe noctu, & mane, uſqué ad examen geſſerint. Conſcientiâ ſic diſcuſſâ ſuper peccatis memoratis & aliis totius vitæ, contritionem eliciant, cum firmo propoſito emendationis. Deinde dicat hebdomadarius pro omnibus, ſinguli attendant, & interne compungantur:

O Amantiſſimè Jeſu, doleo ex toto corde meo quod te Deum meum, Creatorem meum, Salvatorem meum, ſummum

mum

mum bonum meum, hiſce peccatis meis, quæ deteſtor ſuper omnia deteſtabilia, offenderim: Ideò in abyſſum miſericordiæ tuæ me coniicio, & propono firmiter amplius non peccare, omneſqué peccandi occaſiones devitare, vel centies mori. Speciatim gratiam tuam invoco, quâ me ab hoc vitio, N. quod Majeſtati tuæ in me multùm diſplicet, potenter hâc die & totâ vitâ mea præſerves, & virtutē N. eidem contrariam miſericorditer animo meo inſeras. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Deniqué ſubjungantur 3. Pater & Ave *in honorem Ssmæ Trinitatis & pro augmento 3. virtutum Theologicarum:* Fidei, Spei, & Charitatis, *ac rectitudine* cogitationum, verborum, & operum. *Item* pro lumine, gratia & benedictione ſupernaturali, *tanquam medio ad bonum uſum hujus triplicis operationis noſtræ valde neceſſario, impetrandis. Deinde expedit ut in fine ſuperaddatur* Angelus Domini cum ℟. & Gratiam tuam. *Tandem meditatio* ſubſequatur.

STATIO MERIDIANA.

Uno quadrante ante prandium, dato signo campanæ Seminaristicæ, genuflexi in Oratorio clarâ voce orabunt pro perfectione Statûs vitæ nostræ Clericalis, & publicis Ecclesiæ necessitatibus sic:

LITANIÆ

de Omnibus Sanctis.

Kyrie eleison Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos, Christe exaudi nos
Pater de Cœlis Deus, Miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere:
Spiritus S. Deus, Miserere nobis.
S. Trinitas unus Deus, Miserere nobis.
S. Maria, Ora pro nobis.
S. Dei Genitrix, Ora pro nobis.

S. Virgo Virginum,
S. Michàél,
S. Gabrìél,
S. Raphàél, Ora:
Omnes SS. Angeli & Archan: Orate pro:
Omnes SS. BB. Spirituum Ordin: Orate:
S. Joannes Baptiſta, Ora pro:
S. Joſeph: Ora pro:
Omnes SS. Patriarchæ & Proph: Orate:
S. Petre,
S. Paule,
S. Andrea,
S. Jacobe,
S. Joannes,
S. Thoma,
S. Jacobe, Ora pro nobis.
S. Philippe,
S. Bartholomæe,
S. Matthæe,
S. Simon,
S. Thaddæe,
S. Matthia,
S. Barnaba,
S. Luca,
S. Marce, Ora pro nobis.

Omnes SS. Apostoli & Evan: Orate pro.
Omnes SS. Discipuli Domini, Orate pro
Omnes SS. Innocentes, Orate pro nobis
S. Stephane,
S. Laurenti,
S. Vincenti,
Ora:
Sancti Fabiane & Sebastiane, Orate pro
Sancti Joannes & Paule, Orate pro:
Sancti Cosma & Damiane, Orate pro:
Sancti Gervasi & Protasi, Orate pro:
Omnes SS. Martyres, Orate pro nobis
S. Sylvester,
S. Gregori,
S. Ambrosi,
S. Augustine,
S. Hieronyme,
S. Martine,
S. Nicolae,
Ora pro nobis.
Omnes SS. Pontifices & Confess: Orate
Omnes SS. Doctores, Orate pro
S. Antoni,
S. Benedicte,
S. Bernarde,
S. Dominice,
S. Francisce,
Ora pro:

Omnes SS. Sacerdotes & Levitæ, Orat:
Omnes SS. Monachi & Eremitæ, Orate:
S. Maria Magdalena,
S. Agatha,
S. Lucia,
S. Agnes,
S. Cæcilia,
S. Catharina,
S. Anastasia,
Ora pro nobis.
Omnes SS. Virgines & Viduæ, Orate:
Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Intercedite pro nobis.
Propitius esto: Parce nobis Domine.
Propitius esto, Exaudi nos Domine.
Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A subitanea & improvisa morte,
Ab insidiis Diaboli,
Ab ira & odio & omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure & tempestate,
A morte perpetua,
Per Mysterium Sanctæ Incarnationis tuæ,
Libera nos Domine.

Per Adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per baptiſmum & S. jejunium tuum,
Per Crucem & Paſſionem tuam,
Per mortem & ſepulturam tuam,
Per S. Reſurrectionem tuam,
Per admirabilem Aſcenſionem tuam,
Per adventum Spiritûs S. Paracliti,
In die Judicii,

Libera nos Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,
Ut Eccleſiam tuam Sanctam regere & conſervare digneris,
Ut Domnum Apoſtolicum & omnes Eccleſiaſticos Ordines in S. Religione conſervare digneris,
Ut inimicos Sanctæ Eccleſiæ humiliare digneris,
Ut Regibus & Principibus Chriſtianis pacem & veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo Chriſtiano pacem

Te rogamus audi nos.

&

& unitatem largiri digneris,
Ut nos-metipsos in tuo S. servitio confortare & conservare digneris,
Ut mentes nostras adcælestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, & benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias,
Ut fructus terræ dare & conservare digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,

Te rogamus audi nos.

Fili Dei,
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos,
Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison *Pater noster* secreto.
℣. Et ne nos inducas intentationem,
℟. Sed libera nos à malo, ℣.

℣. Lætamini in Dno & exultate justi,
℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Oremus.

OMnipotens sempiterne Deus qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub una tribuisti commemoratione venerari, quæsumus, ut desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris Per Xtum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Hic apponatur Oratio pro Loci Ordinario ut in Statione matutina, supra, Postquam, dicatur

ÆTerne rerum omnium effector Deus memento abs te animas, infidelium, hæreticorum, & peccatorum procreatas! easqué ad imaginem & similitudinem tuam conditas: ecce Domine in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur! memento Jesum dilectum Filium tuum pro illarum salute atrocissimam subiisse necem! noli quæsumus Domine ultra permittere ut Filius tuus ab infidelibus hæreticis & peccatoribus contemnatur, sed precibus Sanctorum viro-

virorum, & Ecclesiæ ſanctiſſimæ Filii tui Sponſæ placatus, recordare miſericordiæ tuæ, & oblitus idololatriæ, infidelitatis, & contumaciæ, ac malitiæ eorum, effice, ut ipſi quoqué agnoſcant, timeant ac diligant aliquando quem miſiſti Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum qui eſt ſalus vita & reſurrectio noſtra, per quem ſalvati & liberati ſumus, cui ſit honor & gloria per infinita ſæcula ſæculorum, ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat ſemper nobiscum ℟. Amen.

Hic fit examen conſcientiæ: an propoſita matutina in effectum deduxerint, & ubi deviaverint, in quibus offenderint, &c. ut ſupra Inſtruct: 2. Tandem dicat hebdomadarius.

O Jeſu amore tui doleo quod offenderim te! quem ſuper omnia diligo, cupio omnia peccata mea, præſertim N. emendare, tibiqué pro iis ſatisfacere per auxilium gratiæ tuæ, Amen.

Continuò ſubjungantur 7. Pater & Ave, *petendo* 7. *dona Spiritûs Sancti per Interceſſi-*

cessionem B. V, M. tanquam Patronam vitæ Clericalis.

In feria 6ta superadditur in fine.

℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis

℟. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.

Oremus.

RESpice quæsumus Domine super hanc familiam tuam, pro quâ Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum. Qui tecum vivit & regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

STATIO VESPERTINA

Datô signô, horâ per præscriptum Seminarii cujuslibet statutâ, dicent omnes partem Rosarii B. V. M. quæ sunt 3. Gaudiosa *feria 2da & 5ta re-*

citari solita: **Dolorosa** *quæ feria 3tia & 6tâ,* **Gloriosa,** *quæ feriâ 4tâ & Sabbathô recitantur.*

1ma Pars pro feria 2. & 5tâ *post Nomen JESUS:*	Quem Virgo concepisti Quem Visitando Elisabeth in utero portasti Quem Virgo genuisti Quem in Templo prœsentasti Quem in Templo invenisti

In hac (ut in aliis) decem Decades sunt & pro quavis Decade sunt singulæ intentiones, nimirum

1ma *Pro errantibus in fide*
2da *Pro convers: exist: in peccato mortali*
3tia *Pro imperfectis*
4ta *Pro Sagis, maleficis, & aliis obstinatis peccatoribus.*
5ta *Pro innocenti Juventute & in gratia existentibus.*

Quælibet Decas Salutationum Angel: *clauditur unô* Pater noster

2da Pars pro feria 3. & 6ta, post *Jesus.*	Qui pro nobis sangvinem sudavit. Qui Pro nobis flagellatus est. Qui pro nobis spinis coronatus est Qui pro nobis Crucem bajulavit. Qui pro nobis crucifixus est.

1ma *Pro toto statu Clericali*
2da *Pro iis qui præsunt, & Confessariis.*
3tia *Pro Virginibus, & continentibu.*
4ta *Pro iis, qui ob fidem & justitiam patiuntur.*
5ta *Pro statu Sæculari & pro patria.*

3tia

3tia pars pro fer:4ta &Sabb:post *JESUS.*

Qui resurrexit à mortuis
Qui in Cœlum ascendit.
Qui Spiritum S. misit
Qui te in Cœlum assumpsit
Qui te in cœlis coronavit.

1ma *Dec:Pro persev: finali in bono spiritu*
2da *Pro Consangv:Benef:& aliis sibi com:*
3tia *Pro patria propria.*
4ta *Pro moribundis.*
5ta *Pro animabus purgatorii.*

Nota I. *1ma pars quæ recitatur in Feria 2da & 5ta prius inchoari debet à* Credo, Pater noster,*postea Decades*Salutationum Angel: *sequantur. Cæteris diebus cæteræ partes continuantur simpliciter,ab* Ave Maria *incipiendo.*

Nota 2. *Die vero Dominico in honorem 33. annorum Xti, quibus in mundo conversatus est,ad impetraudum ab eodem gratiam ætatis plenitudinis Xti dicuntur 33. Pater* hoc modo:

Exordium fit à Symbolo Apostol: cui subiiciantur 3. Pater noster,*tum ante 1mam 2dam & 3tiam Decadem Orationum Dominicarum, dicitur unum* Ave Maria.

Post Rosarium quotidie dic:

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant

Fiant aures tuæ inte dentrs: in vocem deprecationis meæ.
Si iniquitates observaveris Domine: Domine quis sustinebit.
Quia apud te propitiatio est:& propter legem tuam sustinui te Domine.
Sustinuit anima mea in verbo ejus: speravit anima mea in Domino.
A custodia matutina usqué ad noctem: speret Isràél in Domino.
Qia apud Dominum misericordia:& copiosa apud eum Redemptio.
Et ipse redimet Isràél: ex omnibus iniquitatibus ejus.
℣. Requiem æternam dona eis Domine
℟. Et lux perpetua luceat eis.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

DEus veniæ largitor & humanæ salutis amator: quæsumus clementiam tuam, ut nostræ Congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, Beatâ Mariâ semper Virgine intercedente cum omnibus

bus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium Deus omnium Conditor & Redemptor, animabus famulorum famularumqué tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum ℟. Amē.

Postea dicatur oratio pro Loci Ordinario & Æterne rerum: quæ est supra in Statione meridiana, quâ finitâ dicitur:

O infinita bonitas gratias tibi ago pro omnibus beneficiis, quæ mihi hodie & totâ vitâ meâ contulisti, tibi laus & glória in infinitas sæculorum Myriadas.

O æterna sapientia Christe Jesu! da ut quidquid tibi hodie in me displicuit, id mihi integrè in memoriam redeat.

Hic suam quisqué conscientiam examinet, quid singulis horis ab ultimo examine elapsis peccaverit cogitatione, verbo, & opere, & quæ peccata nondum confessus fuerit. Vide de Examine consc: Instruct: II.

Post sufficiens examen dicitur:

O infinita misericordia! ignosce mihi quidquid hodie peccavi coram te: ego omnes offensas hujus diei & totius vitæ meæ depono in abyssum misericordiæ tuæ, & per mortem Filii te deprecor o Deus dimitte mihi quidquid unquam in te peccavi!

Coronidis loco subjungantur 5. Pater & Ave *in honorem 5. vulnerum Xti, per quæ petant remissionem peccatorum, & puritatem sensuum tam internorum quam externorum.*

Feria 5ta post hæc omnia superaddi in mem: agoniæ Xti 7. Pater, *& dicatur:*

℣. Proprio Filio suo non pepercit Deus.

℟. Sed pro nobis omnibus tradidit illum:

Oremus.

DOmine Jesu Christe qui miserias & angustias, opprobria ac convitia, calumnias & injurias, pœnas & afflictiones, passionem & mortem patienter pro nobis peccatoribus redimendis ferre voluisti: te supplices exoramus ut omnes cruciatus vitam & mortem tuam inter judicium tuum & animas nostras, nunc, & in

hora mortis noſtæ ponere, & largiri digneris vivis miſericordiam & gratiam, defunctis requiem & veniam, Eccleſiæ tuæ pacem & concordiam, patriæ noſtræ tranquillitatem, & nobis peccatoribus vitam, & lætitiam ſempiternam. ℟. Amen.

PRECES

Benedictionum ad menſam.

Benedictiones menſæ aliæ ſunt quotidianæ & *Ordinariæ* quæ dicuntur quotidie: aliæ *Extraordinariæ*: quæ variantur in Nativitate Xti, Epiphania, Paſchate, Aſcenſione, Pentecoſte, in Cœna Domini, ac Paraſceve. Prius Ordinariæ præmittentur, poſtea extraordinariæ annect:

I.

Ante prandium.

℣. Benedicite ℟. Benedicite.

℣. Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno.

℟. Aperis tu manum tuam & imples omne animal benedictione.

℣. Gloria Patri & Filio & Spiritui S.

℟.

℟. Sicut erat &c.
℟. Kyrie eleiſon, ℟. Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.
℣. Et ne nos &c. ℟. Sed libera nos &c.

Oremus.

BEnedic Domine nos, & hæc dona, quæ de tua largitate ſumus ſumpturi per Xtum Dominum noſtrum ℟. Amen.
℣. Jube Domne benedicere. ℟. Menſæ cœleſtis participes faciat nos Rex æternæ gloriæ ℟. Amen.

Poſt prandium.

℣. Tu autem Domine miſerere nobis.
℟. Deo gratias.
℣. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua.
℟. Et Sancti tui benedicant tibi.
℣. Gloria Patri & Filio &c. ℟. Sicut &c.

Agimus tibi gratias Omnipotens Deus pro univerſis beneficiis tuis: Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculor: ℟. Amen.

Laudate Dominum omnes gentes laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus: & veritas Domini manet

in æternum: ℣. Gloria Patri &c.
Kyrie eleison. Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. *secreto.*
℣. Et ne nos inducas in tentationem
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Dispersit dedit pauperibus.
℟. Justitia ejus mnnet in sæculum sæculi.
℣. Benedicam Dominum in omni tempore
℟. Semper laus ejus in ore meo.
℣. In Domino laudabitur anima mea.
℟. Audiant mansveti & lætentur.
℣. Magnificate Dominum mecum.
℟. Et exaltemus nomen ejus in id ipsum.
℣. Sit nomen Domini benedictum.
℟. Ex hoc nunc & usqué in sæculum.
Retribuere dignare Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum, vitam æternam ℟. Amen.
℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.
℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace ℟. Amen.
Pater noster *secreto.*
Dominus det nobis suam pacem. ℟. Amen.

II.

Ante Cœnam.

℣. Bene-

℣. Benedicite ℟. Benedicite.
℣. Edent pauperes, & ſaturabuntur & laudabunt Dominum qui requirunt eũ.
℟. Vivent corda eorũ in ſæculũ ſæculi.
℣. Gloria Patri &c. ℟. Sicut erat &c.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon *Pater noſter* &c. ℣. Et ne nos inducas &c. ℟. Sed libera nos à malo.
Oremus Benedic Domine &c. ut ſupra
℟. Amen.
℣. Jube Domne benedicere ℟. Ad cœnam vitæ æternæ perducat nos Rex æternæ gloriæ. ℟. Amen.

Poſt cænam.

℣. Memoriam fecit mirabilium ſuornm miſericors & miſerator Dominus.
℟. Eſcam dedit timentibus ſe.
℣. Gloria Patri &c. ℟. Sicut erat &c.
Benedictus Deus in donis ſuis & Sanctus in omnibus operibus ſuis qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.
Laudate Dominum omnes gentes &c.
Cætera omnia ita ſicut poſt prandium ſupra, dicantur.

Nota Iſtæ benedictiones ad cænam immedia-

mediate positæ, fiunt ante prandium & post prandium diebus jejunii, quia prandium tempore jejunii, loco cœnæ habetur tunc enim præcipitur illis unica tantum comestio, qui annum 21 compleverunt, sub peccato mortali.

III.

Initia benedictionum extraordinar:

In Nativ: Domini.
℣. Verbum Caro factum est Alleluja.
℟. Et habitavit in nobis Alleluja.
℣. Gloria Patri &c. ℟. Sicut erat &c.
Pater noster &c dicitur ut supra.
In fine dicitur
℣. Notum fecit Dominus Alleluja.
℟. Salutare suum Alleluja.

Reliqua post prandium & cœnam ita dicuntur ut supra. Idem applica infra appositis.

In Epiph: & per 8vã.
℣. Reges Tharsis & Insulæ munera offerent Alleluja.
℟. Reges Arabum & Sabadona adducent. Al:
Gloria Patri &c. *ut supra.*

In fine dicitur.

℣. Omnes de Saba venient Alleluja.
℟. Aurum & thus deferentes Alleluja.
Gloria Patri &c. *ut supra.*

Ante esum.

In Cæna D. & in Feria 6. ut est in Bre-viario.
Christus factus est pro nobis obediens usqué ad mortem.
Deinde Pater noster *secreto.*

In fine dicitur.

Christus factus &c. usqué ad mortem.

Pater

Pater noster secr: tot: *Postea Psal:* Miserere mei Deus. *Deinde Oratio:* Respice quæsumus Domine: *quam vide supra in Stat: meridiana.*

Ante esum.

Sabbatho S. ℣. Benedicite ℟. Benedicite.
℣. Vespere autem Sabbathi quæ lucrescit in prima Sabbathi Alleluja.
℟. Venit Maria Magdalene & altera Maria videre Sepulchrum Alleluja.
Gloria Patri &c. *ut supra.*

Post esum.

℣. Vespere autem Sabbathi &c. *ut supra.*
℣. Gloria Patri &c. Laudate Dominum omnes &c. Kyrie eleison &c. *& reliqua ut supra*

Ante esum.

In Paschate & per 8vā. ℣. Hæc dies quam fecit Dominus Allelu:
℟. Exultemus & lætemur in ea Alleluja.
Gloria Patri &c. *& reliqua ut supra.*

Post esum idem dic:

Ante esum.

In Ascensio: Dom: & per 8vam. ℣. Ascendit Deus in jubilatione Alleluja.
℟. Et Dominus in voce tubæ Alleluja.
Gloria Patri & . *ut supra.*

Post esum.

℣. Ascendens Christus in altum Alleluja.
℟. Captivam duxit captivitatem Allelu:
Gloria Patri &c. *ut supra*

In Sabbatho Pentecost: & per 8vam-

Ante esum.

℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum Alleluja.

℟. Et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis Alleluja.
Gloria Patri &c.

Post esum.

℣. Repleti sunt omnes Spiritu S. Allelu:
℟. Et cœperunt loqui Alleluja.
Gloria Patri &c. *reliqua ut supra.*

REGULÆ MODESTIÆ

Ubiqué à Clerico observandæ ex auth: prob: excerptæ.

IN VESTITU.

1. Is mundus sit, non neglectus. & absqué nitoris affectatione: nec talis, qui mollem animum, atqué mundanũ præseferat.

2. Non defluat magis in unam, quam alteram partem.

3. Calcei sintmundi, & decenter adstricti.

4. Pileus modestè aptetur, non ad levitatem.

IN INCESSU.

1. Incessus nec sit nimis tardus, nec etiam festinantior.

2. Humeri in utramqué partem non agitentur.

3. Erectione colli non affectetur magnificentia.

4.

4. Non ſubſiliendum aſcendendo gradus vel deſcendendo.

5. Simul eundo in plateis non corridendum, nec confabulandum, nec oculis hinc inde vagandum.

6. Nec in angulo aliquo nec in domo, multominùs ambulando, cantillent.

IN CONGRESSU ET COLLOQUIIS

1. Viros ſpectatos tum Eccleſiaſticos, tum ſæculares aperto capite venerentur, idqué cum aliquâ corporis inflexione ſi ità dignitas eorum poſtulaverit.

2. Non expectent uſqué dum ab aliis fuerint honore præventi.

3. Majori sê nunquam dicant ut caput tegat vel ſedeat &c.

4. Moniti à viro gravi ut ſedeant, vel caput tegant, non ſubitò pareant, ſed modeſtè ſe excuſent, cavendum tamen, ne nimii ſint aut moroſi excuſando, unde ſemel & iterum juſſi, pareant.

5. Non ſæpius caput aperiant, ſed tantum initio quando interrogati reſpondent, vel aliquid de novo proponunt, ac exordio facto, ſtatim tegant.

6.

6. Non ſolum majoribus & ſuperioribus, ſed etiam æqualibus honoratiorem locum concedant libenter.

7. In domeſtica ambulatione ſatis eſt in principio ad alterius ſe lævam applicuiſſe, eundo deinceps, ut ſors tulerit.

8. Minores à majoribus affatum expectent.

9. Membrum unum non uſurpet officium alterius, ſed unumquodqué decenter ſuum exerceat, ne illud de nobis dicatur Prov: 6. *Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore perverſo, annuit oculis, terit pedibus, digito loquitur.*

10. Non hianti ac patenti ore auſcultent loquentem.

11. Non nimis propè accedant, perſonam, præſertim ſi gravis ſit, nec nimis procul diſtent, ſed ſpatiô congruenti.

12. Non exeratur lingva extra dentes, nec labia circumducant.

13. Non mulceant vel excutiant comam & barbam.

14. Non ſæpè coaptent veſtimenta & componant, circa ſe.

15. Non incurvent ſe in latus quaſi cubitando, nec parieti innitantur.

16. Loquenti unam tantùm non præbeant aurem, quia utraqué ad audiendum formata eſt.

17. Non erigant ſupercilia, quia plerumqué ſuperbiæ indicium eſt, aut affectatæ admirationis.

18. Non oſtentent, oculos in orbem ducendo, magnificentiam.

19. Non nimium caput incurvent, vel huc, atqué illuc convertant.

20. Alterum oculum non claudant, & unô tantum loquentem non aſpiciant, alias affectatæ elationis ſignum eſt.

21. Inter loquendum non geſticulentur manibus, ſaltìm frequenter, ſed nonniſi rarò.

22. Manu pileum non verſent nequé agitent, Nec ſtrophia explicanda ſunt.

23. Non figantur oculi in faciem vel oculos alterius, præſertim ſi vir gravis ſit vel fœmina, ſi tamen ſit neceſſitas, vel ratio poſtulet, id fiat verecundè.

24. Verba levia non proferant, multominùs

minùs scurilia, non excluditur tamen svavis ac modestus jocus intra cancellos modestiæ & charitatis.

25. Fastuosam gravitatem non affectent

26. Non spuant in conspectu adstantium, sed modestè se avertent apposita manu, idem fiat, cùm strophio tergunt nasum.

27. Nares indecorè non mungant, nec digito scalpant.

28. Non oscitent intemperanter & cum stridore aut strepitu.

29. Ubi res risum movet, non sint profusi, nec in cachinnum erumpant.

30. Non interrumpant sermonem loquentis, sed patienter audiant, donec sermo finiatur.

31. Dum sedent, unum pedem supra alium non ponant.

32. Alloquendo homines non tuisent nisi subditi sint.

IN TOTA DOMO.

1. Loquantur submissâ voce, ac mansvetâ.

2. Claudendo vel aperiendo januas, strepitus caveatur.

3. Non vagentur horis intempeſtivis.

4. Non conſpuant nec fœdent parietes.

5. Res unde accepta eſt,in ſuo loco repoſita ſit,niſi aliter neceſſe ſit.

IN ECCLESIA.

1. Reverenter ſe habeant præcipuè coram Vener: Sacr: & Reliq: SS.

2. Flectant genu debitis temporibus,& ſurgent quando tempus eſt.

3. Non agitent caput quaſi ad excutiendas diſtractiones.

4. Huc illucqué non circumſpiciant, nec vagentur.

5. Non legant niſi ex libro precario, ad excitandum affectum pium.

6. Non tuſſitent cum ſtrepitu&indecore

7. Non conſpuant locum, ſputum pede exterant.

8. Indumenta bene ac ordinatè componant.

9. Rationem habeant in genuflexione, ne veſtes maculent, quod ſi maculaverint, ſurgendo purgent.

10. Cum orant, præcipuè vocaliter, non oſtendant ſigna devotionis gemendo, ſuſpi-

suspirando, sibilando: quia hæc impotentium sui mulierum sunt. *Plura vide infra* ubi *in Min: Missæ.*

IN SACROFACIENDO.

1. Sacerdotes non accedant ad altare nisi bene dispositi ac præparati, juxta illud monentis Dei: *Pavete â Sanctuario meo.*

2. Servetur decens gravitas in legendo, & in cæremoniis decora moderatio.

3. Rubricas Missalis ac singulas minutias ibi præscriptas accuratè observent, & prius maturè revideant missam diei.

4. Legant clarè, distinctè, emendatè.

5. Actionē habeant promptā & expeditā

6. Adsit devotio, reverentia, religiosa compositio corporis.

7. Caput non scalpant.

8. Indecenter non excreent, nec salivam ad pedem altaris coniiciant, sed ad latus.

IN MINISTERIO MISSÆ.

1. Manus sint mundæ, uti & vestes, antequam accedant servire.

2. Sacerdoti vestes porrigant induendas, quas benè & æqualiter adaptent, ut æqualiter defluant.

3. Manus ante pectus erectas habeant, in capſa autem non ſerventur ſuperpelliceo ſublevato ut faciunt ſæculares veſtem ſuperiorem amoventes.

4. Sint graves in Miniſterio, ſint maturi, ſoliciti & expediti.

5. Omnis reverentiæ debitæ memores ſint.

6. Reſpondeant celebranti tono pari.

7. Oculi ſint proportionatè demiſſi, nequé circumſpiciant adſtantes.

8. Vinum & aquam non fundant cum impetu, nec guttatim, ſed moderatè.

9. Vino diſcernendo nares nimium non apponant.

10. Ante & poſt Sacrum lavandis manibus aquam infundant poſt miſſam veſtibus exuant, quas decenter ſemper component.

IN MENSA.

1. Antequam fiat benedictio, ſtent erecti, & quieti, cum modeſtia.

2. Libenter cedant alteri locum ſed ſine aulica diſceptatione.

3. Non incipiant refectionem à potu.

4. Sedeant recti, nec obvertant vicino humerum, præſertim externo, nec illum ſibi aſſidentem moleſtè pulſent.

5. Voracitatem caveant, nec os nimiùm impleant.

6. Non radant cum ſtrepitu chochleari ſcutellam, nec cibum impetuoſè circumagant.

7. Coehlear nimiùm ne impleant, ne turpiter effundatur.

8. Ne portionem meliorem, alterius loco contingentem ſibi præripiant, ſed ſumant, quod ſibi contigit.

9. Non bibant cum impetu & ſorbendo.

10. Non ſorbeatur ex cochleari vel oſſibus carnium & piſcium.

11. Si neceſſe fuerit, naſum vel ſudorem, non mappulâ menſæ, ſed ſtrophio tergant, idqué moderatè, inflectendo caput verſùs pectus, aut ad latus, ſi illud nemo claudat.

12. Si quid aliunde offertur eſculenti benignè ſuſcipiant, gulam vincant, cæteriſqué tribuant.

13. Bibendo non erigant nimiùm caput, ad ultimam guttam quaſi exhauriendo.

14. Non accumbant menſæ indecorè, nec utroqué vel altero cubito, aut magna parte brachii menſæ innitantur.

15. Ne ſe negligenter ad ſcamnum vel menſam teneant inclinati.

16. Non ſcindant nec miniſtrent aliis, niſi ſcindendi rationem calleant, vel jubeantur à Superiore.

17. In menſa domeſtica nil edulii alteri porrigant, quod à Superiore vel alio non acceperint.

18. Loquantur parcè dum tempus loquendi datur.

19. Non arrodant oſſa unâ vel utraqué manu apprehenſa.

20. Oſſa à ſe carnibus nudata, vel piſcium ſpinas, reponant in orbem ſeorſim.

21. Panem non præmordeant, ſed cultro ſectas ſingulas particulas inferant.

22. Non ſint ita in cibum effuſi, ut ſcutellam ad ultimam uſqué guttam vel bolum evacuent.

23. Cultrum, aut cochlear non lambant,

bant, ſed pane abſtergant, non mappâ vel mappulâ, idem fiat cum digitis.

24. Cultrum dum tenent manu, eâdem cibum non ferant.

25. Putamina ne pollice purgent.

26. Oculos non circumducant curioſè, ut videant quid alii habeant vel agant, ſalvâ tamen regulâ de obſervando vicino ne quid ei deſit.

27. Ad purgandos dentes calamus ſit, non cultelli.

28. Mantile plicandum non extendatur ſupra menſam vel ante pectus.

29. In ſilentio ſummo attendatur lectioni ſpirituali, ſemper.

30. Benedictio & gratiarum actio altè, diſtinctèqué proferatur omneſqué reſpondeant mente attentâ & voce clarâ. Miniſtrans menſæ diſcos, & alia vaſa, absqué ſtrepitu colligat referatqué absqué colliſione.

IN RECREATIONE ET IN AGRIS.

1. A clamoribus liberioribus abſtineant.

2. Indecoras corporis jactationes ſẽper

&

& curſum omnem extra luſum devitent.

3. In luſu, qui permiſſus eſt, ſibi temperent ab omni inordinatione & indecentiâ, nequé ſe invicem attrectent.

4. Caveant dum corporaliter ſe recreant à diſſolutione mentis ac effuſione ſpiritûs, ſed ſtudeant ex rebus objectis aliquam ædificationem accipere, & mentem elevare, juxta admonitionem Chriſti: *Conſiderate lilia campi.*

Quæ omnia hucuſqué tradita, ſint ad decorem domûs Dei, Eccleſiæ S. ornamentum, perfectionem Statûs noſtri Clericalis; paucis,

Ad

M. D. G. B. V. M. H.

OO. SS. Cultum.



Imprimatur.

Actum Vilnæ die 28. Mensis Aprilis Annô D. 1761.
A. HORAIN Episc: Hir: Suff: Samog: Archi-Diacon Vilnen: Libror: Censor.

mpp.





